UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Annales Ecclesiastici Cæsaris Baronii S. R. E. Card.

[Liber I-VI]

**Baronio, Cesare**

**Romæ, 1636**

Annales Ecclesiastici Caesaris Baronii S.R.E. Card. A Lvdovico Avrelio Perusino. In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est. Liber VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65044

Visual Library

# ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

## *A LVDOVICO AVRELIO Peruſino.*

In totidem libellos breuiſſimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digeſtum eſt.

## LIBER VI.

*Reſpondens ſexto Authoris Tomo.*

Chri. Ann. 440. COEPTVM ſuperiori libro à Chriſto nato annum proſequimur quadringenteſimum, ac quadrageſimum Valentiniano Auguſto V. atque Anatolio Coſs. quo, *Proſp. chron.* ſecundo, ac quadrageſimo à Sixti obitu demum die, Leo Rom. Eccleſiæ Archidiaconus, qui poſteà Magni nomen adeptus eſt, Pontifex Maximus renunciatur,

Genſericus, Carthagine, vt diximus, expugnata, Siciliam inuadit, à qua tamen à Caſſiodori Auo eiuſdem nominis, ſtrenuo Duce, nauiter repulſus, Carthaginem renauigat, quam Vrbem Romani olim Imperij æmulam ad maximam redegerat vaſtitatem.

*Vădăli Siciliam inuadunt.*

*Caſs. l. 1. ep. 4.*

Sequens annus Cyrum tantum apud Orientem Conſulem habuit, quem, ob poeticam facultatem, Eudocia Auguſta, eiuſdem artis ſtudioſiſſima, periciſſimaque, ad honorum culmen per omnes dignitatum gradus euexerat, nam & Vrbanam, & Prætorij Præfecturam geſſit, & Patriciam dignitatem adeptus eſt. denique varijs iactatus Fortunæ fluctibus, ex Ethnico Chriſtianus factus Epiſcopus euaſit. ſub Eiuſdem porrò Cyri Conſulatu Concilium Arauſicanum apud Galliam celebratum legitur, in quo canones ſanciti ſunt vndeviginti.

*Cyrus Poeta Cõſul.*

*Chri. Ann. 441.*

*Eius fortunæ varietas.*

*Conc. Arauſicanũ*

Huic Synodo, cum alijs ſanctiſſimis Viris, Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus interfuit, *quem præ cæteris hic Auctor commendat, eademque occaſione Lirinenſe Cœnobium fœcundiſſimum fuiſſe ſacrorum Antiſtitum Seminarium oſtendit.*

*S. Eucherius. nenſe Cœnobium.*

Cæterum Theodoſius, bellum aduerſus Vandalos meditans, Areobindam, Anaxillum, atque Germanum inſtructæ eam in rem Claſſis Duces conſtituit; qui tamen diſſidijs, ac cunctationibus,

*Proſp. chron.*

non tam Africæ ſubſidio, quam Siciliæ oneri fuere. tum vero etiam Genſericum in Catholicos, quos ſubegerat, irritatum ferunt, Africæ autem partem reliquam, quæ Romano adhuc Imperio parebat magnopere fluctuaſſe; quę res Valentinianum, ac Matrem ad inhoneſtam cum Barbaro Rege pacem compulere, quæ ſequenti demum anno ſancita eſt, quo Conſules Eudoxius, ac Dioſcorus creati ſunt.

Chri. Ann. 442. *Marcell. & Proſp. chron.* Per idem tempus Attila, cum Bela Fratre Hunnis imperitabat. ergò Attila gloriæ, an prædæ cupidus, Thraciam, atque Illyricum inuadit, quod non niſi diuinæ iræ tribuendum videtur; eo enim maximè tempore Romanæ copiæ reuocandæ ex Sicilia fuere, cum Genſericus ſuorum inſidijs, ac iteratis cõſpirationibus appetitus, opprimi facili negocio potuiſſet. his ſanè Ille detectis ſæuiſſimam in Coniuratos exercuit carnificinam. porrò cũ iam omnes ſuſpectos haberet, capitale erat Epiſcopis, cæteriſque diuini Verbi Præconibus, Pharaonem, Nabucdonoſorem, Olopherné, aut alium quempiam ex ſacris Literis Tyrannum pro concionibus nominare. *Attila Hũnorum Rex.* *Genſerici Tyrãnis.*

His Ipſis Coſs. Vaſenſis, ſeu potius Vaſatenſis, apud Galliam Narbonenſem Synodus celebratur. *Cõcil. Vaſenſe.*

Chri. Ann. 443. Leo interim Pontifex detectos in Vrbe Manichæos hæreſim abiurare *Manichai.*

pa-

palam cogit, idque vt alijs quoque in Vrbibus, in quibus deliteſcerent, fieret, author fuit, quod in Maximi, ac Paterni Conſulatum incidit. quibus item Coſs. Theodoretus, qui Antiochiæ hoc tempore agebat, in ſuſpicionem Neſtorianæ hæreſis vocatus, Theodoſij iuſſu recipere ſe in Cyprum cogitur, quod illi quanto cum animi mœrore contigerit, ex Eius hoc ipſo tempore datis epiſtolis conſtat.

*Theodoretus.*

*Ep. 82. 90. & 92.*

At ſanctus Pontifex Leo, haud ſatis ducens detectos, vt diximus, Manichæos, habitis ad Populum concionibus exagitaſſe, ac priuatis veluti iudicijs damnaſſe, duodeuigeſimo Theodoſij cum Albino Conſulatu coacta Romæ Synodo, ſacrilega Illorum dogmata, ac nefaria Sacra, publico Iudicio Eccleſiaſtica cenſura notauit. tum Synodi ipſius Acta Epiſcopis, non per Italiam modò, ſed etiam extra eam, tranſmiſit, quò Illi, cognitis Eorum ſceleribus, in Eis indagandis, ac detectis coercendis promptiores fierent. nec abſimili vſum ſtudio conſtat aduerſus Pelagianos, quod S. Proſperi in primis opera, quem Romam acciuerat, præſtitit.

Chri. Ann. 444.

*Leo ep. 93. & ſerm. de ieiũ. dec. menſ.*

*Synodus Romæ.*

*Gẽnad c. 84.*

Cyrillus interim Alexandrinus moritur, Epiſcopatus anno XXXII. *de cuius præterea, quæ extant, ſcriptorum monumentis, hoc loco Authorem conſule.*

*Cyrilli Alex. obitus.*

Cy-

Cyrillo Dioſcorus ſubrogatur, qui illius memoriæ infenſior, Ipſius quoque hæredes exagitauit. Legationem ſtatim ad Leonem inſtituit, cuius munus Poſſidonio demandauit, ex quo, cum Leo non pauca in Alexandrina Eccleſia non rectè adminiſtrari cognouiſſet de his corrigendis, pro Sedis authoritate ad Dioſcorum ſcripſit.

*Dioſcorus ſuo cedit.*

Per idem tempus Attila Belam Fratrem, ac Regni Socium, exemplo haud nouo, interemit. *cæterum quod ad Hunnorum originem, ac mores ſpectat, Authorem hic multa ex Ammiano, ac alijs referentem conſule.*

*Attila fratrẽ necat.*

*Hũnorũ origo, ac mores.*

*Marcell. & Proſp. chron. Amm. l.31.*

Chri. Ann. 445.

Valentiniano ſextum, ac Nomo Coſs. Byzantium multiplici clade affectum eſt. orta etenim in Circo Populi ſeditione, ingens perijt multitudo. tum annonæ caritate, ac vulgari ſubindè lue, multi mortales abſumpti ſunt.

*Byzãtij clades.*

*Marcell. chron.*

Apud Occidentem porrò Valentinianus Manichæis Eccleſiaſtica animaduerſione haud ſatis, vt videbatur, coercitis, aqua, & igni interdixit; tum ad Romanæ Sedis prærogatiuam firmandam, perpetua dignam memoria, Sanctionem edidit.

*Manichæi iterũ coerciti.*

*Nou. Val. poſt. C.Th. tit.2. & 4.*

Chri. Ann. 446.

Ætio, ac Symmacho Coſs. funeſtus admodum Rom. Imperio annus inchoatur; quippè, amiſſa Hiſpania, ac maiori ex parte Africa, ac Gallia, Britannia quoque, quæ erat extra Italiam reli-

*Britãnia amiſſa.*

*Paul. Diac. l.14.*

reliqua, Barbarorum armis ceſsit. Hi fuere Angli Saxoniæ Populi, quos ideo Anglosaſſones quidam vocant: exin' Anglia vocari cepta, quæ Britannia antea fuerat, tum Britannorum migratione Galliæ Regioni, quæ in Oceanum peninſulæ modo excurrit, Britanniæ nomen eſt inditum.

*Anglo ſaſſones. Britãni in Galliã*

Apud Orientem quoque fame, ac peſte laboratum: inſuper terræmotu Vrbes complures collapſæ; Byzantij in primis, præter publicas, ac priuatas adæs, mœnia, & ex recenti quidem conſtructione, cũ turribus LVII. corruere: concuſsio verò, quod vix credibile, ad ſex ipſos menſes perſeuerauit nullo fere interuallo. accidit tum res maximè admirabilis. dum enim Byzantij Populus, terrore maximo perculſus, precibus ex more vacat frequentiſsimus, turbine exorto, Puer, qui tum aderat, in ſublime raptus eſt adeò, vt oculos ſuſpicientium effugerit, mox eandem remenſus viam, pennis veluti libratus, ſolum attigit, teſtatuſque eſt audiſſe ſe hæc canentium verba *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miſerere noſtri*. hæc cum audiſſet Proclus Vrbis Antiſtes, eadem à Populo cani iuſsit, Theodoſius verò idem ab omnibus vbique Chriſtianis præſtari, edita ad hoc Lege, imperauit. rei porrò memoria in antiquis Græcorum Menologijs

*Clades publica. Prodigium. Triſagium.*

*Marcell. Chr. Niceph. l. 14. c. 26. Damaſc. de fid. ort. l. 3 c. 10.*

logijs deſcripta exindè recoli quotannis conſueuit. illud quoque additur, Puerum poſtquam ea, quæ audierat, retulit, actutum obijſſe, terræ autem motum quieuiſſe. Sed & illud æquè mirum traditur, hoc loco, quod in his verſetur oratio, recenſendum. Iudæus ex Chriſtiani hominis domo Chriſti Seruatoris Imaginem clam ſublatam, mucrone percuſsit, cum ſtatim, veluti ex vulnere ſanguis erupiſſet, ac Iudæi veſtem adſperſiſſet, Ille ad facinus obtegendum, noctu in puteum imaginem adhuc ſanguine madentem proiecit: appetente dein die, cum ad puteum, qui publici vſus erat quidam, aquam vt haurirent, acceſſiſſent, ſanguinem ſe hauſiſſe comperiunt. re ad Præfectum delata, exauſtoque puteo, imago, ita vt erat conuulnerata, extrahitur, vt dubium nullum eſſet ſanguinem ex ea profluxiſſe. Præfectus Imaginem ad Auguſtum defert, cuius iuſſu, præconis voce criminis indulgentia Ei proponitur, qui rem ſponte prodidiſſet. Iudæi Vxor indicio ex Viri timore, ac veſte ſanguine adſperſa deſumpto, illum Præfecto defert. cum verò non Is modò, ſed vxor quoque Chriſtianam ſe Religionem ſuſcepturos ex animo ſpopondiſſent, Noxius ſceleris impunitatem nactus eſt, ſacro, vna cum Vxore, Baptiſmate initiatus. rei hiſto-

*Prodigium aliud.*

hiſtoria kal. Septembris recoli poſtmodum in Eccleſia conſueuit.

*Procli Byzantij Epiſc. obitus.*

Contigit hoc eodem anno Procli obitus, quem Flauianus ſubſequutus eſt, cuius cauſa orta inter Pulcheriam, atque Eudociam diſſidia, quod hæc Flauiano aduerſaretur, contrà Illa Eidem ſtuderet, demum Pulcheriam ad regiminis abdicationem impulere. cuius rei ea quoque cauſa præceſſit. cum enim Virgo prudentiſſima Augusti Fratris incuriam incaſſum ſæpius arguiſſet, quod ſupplicibus libellis nequaquam perlectis, ſubſcriberet, vt Illum temerariæ imprudentiæ admoneret, libellum eiuſmodi conſcripſit, quo venditam ſibi Auguſti Coniugem diceret, ratamque haberi venditionem peteret. ſubſcripſit libello Theodoſius ex more. tum rei admonitus, haud æquo Sororis iocum animo tulit; vt ſunt Principum animi elati, nec facile repreheoſiones admittunt. cæterum Pulcheriæ conſilijs deſtitutus Theodoſius Chryſaphio Eunucho plus æquo in poſterum obnoxius, anteactæ vitæ decus peſſundedit. mox etenim noua Hunnorum irruptione territus pacem auro redimere, annuum Barbaris tributum pendere coactus eſt.

*Niceph. l. 14. c. 47. Menol 24. Octob.*

*Pulcheria regimen deponit.*

*Serius cius in fratrē monens.*

*Theodoſij imprudētia.*

*Tributū Barbaris promiſſum.*

Quod ad res ſpectat Occidentales, Alipio, ſeu, vt alij vocant, Callipio, atque Ardaburio Coſ. Leo Pontifex

*Chri. Ann. 447.*

Leo ep. tifex certior à Turibio Aſturicenſium
93. & Epiſcopo, Viro ſanctiſſimo, factus de
97. Priſcillianiſtarum apud Hiſpaniam coi- Cōcil.
Ambr tionibus, generale totius Prouinciæ Hiſp.
moral. Concilium indicit, quod tamen biſa-
l. 11. riam diſtributum eſt, ea fortaſſe de
c. 26. cauſa, quod Sueui, ac Gothi ſeorſim
in Hiſpania imperarent. quo loco ad- Rom.
miratione dignum videtur tanti apud Pont.
Reges barbaros eoſque Arrianos Ro- autho-
mani Pontificis authoritatem fuiſſe. ritas.

Chri. Ruſo prætextato Poſtumiano Ro-
Ann. mæ, Conſtantinopoli Zenone Coſs.
448. renunciatis, Theodoſius in Hæreticos Theo-
Conc. pariter, ac Gentiles reſcripſit; gratiſ- doſij
Eph. ſimum Deo Sacrificium ad Rom. Imp. reſcri-
c. 19. clades auertendas hac præcipuè ra- pta.
tione oblaturum ſe ratus. Irenæum
quoque Comitem, quem anteà ex-
auctoraſſet, Epiſcopum factum, quod
bigamus eſſet, deponi iuſſit. Huius
Theod conſecrationi cum Theodoretus in Theo-
ep. 12. terfuiſſet, Illique eſſet peramicus, in dore-
16. 81. hæreſis, & Ipſe, ſuſpicionem voca- tus.
204. tus, ſe Ipſum purgare neceſſe habuit.
In His, qui Neſtorium inſectati, præ-
cipuam laudem adepti fuerant, Eu-
tyches Conſtantinopolitanæ Eccle- Euty-
ſiæ Presbyter, ac Monachorum Pa- ches.
ter, fuit. Is dum improuidè in hoſtem
fertur, duaſque in Chriſto Perſonas,
ex catholicæ veritatis præſcripto, ne-
Conc. gat; rapido veluti curſui inijcere ha-
Chal. benas neſcius, duas itidem naturas
adi-

*Cõcil.* adimit. detectus ab Euſebio Dorilæi *act.* 1.
*Byzã-* Phrygiæ Vrbis Epiſcopo, ad Flauia- *Theod.*
*tij.* num Byzantij Antiſtitem, tum ad *l.* 4. *in*
Concilium ibidem alia ex cauſa coa- *fin.*
ctum defertur. Patrum itaque iuſſu *Liber.*
ter vocatus, per Chryſaphium Eunu- *c.* 11.
chum ab Auguſto impetrauit, vt non
niſi aulæ Comitibus, ac Satellitio ſti-
patus accederet. Spadonis porrò po-
tentia, qui Flauiano infenſior erat,
factum eſt, vt res mirè turbarentur,
Epiſcopi complures Eutycheti ſtu-
derent, Oecumenico Concilio opus
eſſet.

Aſterio, ac Prothogene Coſs. Eu- Chri.
tyches ab Auguſto literas ad Leonem Ann.
Rom. Pont. impetrauit, ad quem 449.
ſuas, & Ipſe, addidit. tum properè *S. Leo.*
Epiſcopi XXX Byzantij coacti, qui- *ep.*7.
bus non ſine Flauiani contemptu, *& ſeq.*
Theodoſius Cæſareæ Cappadociæ *Conc.*
Epiſcopus præſideret; tantus fuit Au- *Chal.*
licorum in Eutychetem ſtudium, vt *act.* 1.
cauſam dicere per ſuos Monachos *Nice-*
abſens Ipſe Epiſcoporum permiſſu *ph. l.*
potuerit. porrò, quod ad Flauianum 14. *c.*
deijciendum, qui conuenerant Epi- 47.
ſcopi haud ſatis idonei viderentur,
Chryſaphij, qui id maximè optaret,
potentia effectum eſt, vt maiori Epi-
ſcoporum numero, ac præcipuorum
*Dio-* authoritate res ageretur. vocatus eſt
*ſcorus* igitur Auguſtorum literis Dioſcorus
*Alexã-* Alexandrinus, iuſſuſque cum alijs ſuæ
*drinus* Pro-

Prouinciæ Epiſcopis XX. ad Auguſti kal. Epheſi eſſe.

S. Leo ep. 10. & ſeq. His de rebus certior Leo Pontifex ab eodem Theodoſio factus, cum Eum incaſſum à tantæ rei molitione dehortatus fuiſſet, Legatos Epheſum mittit Iulianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum. adfuere cum His Epiſcopi CXXVIII. Epiſcoporum præterea Vicarij complures. tum, Leonis literis haudquaquam perlectis, quibus Ille Fidei quoque Regulam tradiderat, omnia per vim, omnia in Flauiani odium, Eutychetis gratiam agi cæpta; Dioſcoro in primis cuncta ad Spadonis libidinem dirigente. itaquè admiſſi qui venalia habebant ſuffragia, rectæ Fidei viciſſim Aſſertores excluſi. deniquè abſoluitur Eutyches Flauianus, ac Euſebius Dorilei Epiſcopus, quaſi Neſtorij Sectatores damnātur, His interim appellantibus Legatis autem Apoſtolicis, alijſque compluribus acrius obſiſtentibus, ac Dioſcori genua prenſantibus, quò illum à præcipiti ſententia reuocarent. eo in tumultu Comites, qui Principis iuſſu præſtò erant, vocantur, ingreſſique cum vniuerſo Satellitio, atque adeò cum catenis, carcerem, exilia, ac dira His ſupplicia intentant, qui Dioſcori ſententiæ non ſubſcriberent; quò factum, vt plerique omnes, licet inuiti,

*Conciliabulum Epheſi.*

*Vis Epiſcopis infertur*

uiti, manus darent. fuere Hi Epiſcopi propè centum, qui poſteà in Chalcedonenſi Concilio, quamquam vim metum que cauſati, non ſinè ignominiæ nota, ſuas Ipſorum ſubſcriptiones recitatas, rubore ſuffuſi, audiuere. Verum enimuerò in tanto Epiſcoporum naufragio Petri nauicula, vt par erat, emerſit. quippè à Leone miſſi Legati nulla vi in fraudem inducti; inſuper, duobus alijs ſubſiſtere coactis, Hilarus Diaconus, qui poſteà Pontificatum adeptus eſt, fuga elapſus Romam demum per ſumma pericula, reuertitur, deque omnibus Epheſi tyrannicè geſtis, Leonem docet. Votum poſteà Ioanni Euangeliſtæ Epheſi olim Epiſcopo, ac Patrono perſoluit, extructa, quæ adhuc extat, in Conſtantini Baptiſterio, opere muſiuo, Ædicula, huiuſmodi cum inſcriptione. *Liberatori ſuo Ioanni Euangeliſtæ Hilarus Epiſcopus famulus Chriſti.*

*Chalc. Conc. act. 1. S. Leo. ep. 25. & 26.*

*Legati Apoſt. à ſcelere immunes*

*Hilari Ædicula.*

Præter Flauianum, atque Euſebium alij, quoque damnati, ac Sede pulſi. at illud, portento ſimile, cum Flauianus interpoſita ad Sedem Apoſtolicam appellatione, libellum poſteà Legatis obtuliſſet, Dioſcori indignationem ità prouocauit, vt, Eo iubente, ſeruiliter cæſus, plagarum atrocitate mortem obierit, inter Martyres poſteà recenſitus. ſed & Theodoretus quaſi Hæreticus damnatus,

*Euagr l. 1. c. 10. Nicephl. 14 c. 47. Liber. c. 11. Martyrol. & Menol. 18. Febr.*

Eiuſ-

Eiuſque Scripta igni ſunt tradita.

Porrò Epiſcoporum plerique omnes, paucis exceptis, poſtquam nouæ hæreſis aſſertione, eiuſque Authoris Eutychetis abſolutione, Catholicorum damnatione, quaſi tèr Chriſto abnegato, ex Pilati veluti Atrio egreſſi ſunt, reſpiciente Eos Domino, amarè cœperunt flere, quo in luctu biennio fermè Orientalis Eccleſia fuit.

*S. Leo ep. 22. et ſeqq.* Leo dein' Pontifex, coacta Romæ Synodo, Epheſini Conuentus Acta reſcidit, deque abrogatione huiuſmodi ad Theodoſium in primis, ac Pulcheriam, tum ad Archimandritas, alioſque complures ſcripſit. opportunè autem accidit, vt Romæ hoc ipſo tempore cum Vxore Eudoxia, ac Placidia Matre Valentinianus eſſet, à quibus ſeorſim literæ ad Theodoſium datæ ſunt, *quas Author hìc recitat*. *Concilium Romæ.* *Ante Conc. Chal.*

*Conc. Chal. act. 1. Liber. c. 12.* Dioſcorus viciſſim, qui ſemel verecundiæ fines tranſiſſet, vt nauiter impudentem ſeſe oſtenderet, Alexandriam reuerſus, Ægypti Epiſcopos adeſſe iubet, ex quibus decem non amplius nactus, cæteris hominem auerſantibus, Anathematis ſententiam in Leonem ferre auſus eſt. *Dioſcorſus Rom. Ponticem excommunicat.*

Chri. Ann. 450. Quinquageſimus ſæculi annus Valentiniani VII. atque Auieni Conſulatu lætior illuxit. ſanè Theodoſius, etſi ab Eutychete, ac Dioſcoro deceptus, à Chryſaphio autem veluti faſcinatus,

Fla-

Flauiani damnationem retam habuit, Anatolium, Flauiano ſuffectum, non anteà recipiendum exiſtimauit, quam ea ſuper re Leonem Pontificem conſuleret. erroris tum nube paulatim diſcuſſa, effectum eſt, vt fraudẽ agnoſceret, & fraudis deteſtaretur Authores. itaque Chryſaphium, deiectum gradu, relegauit: Pulcheriam Sororem reuocauit; Regnique iterum participem fecit: Eudociam Coniugem honeſto exilio Paleſtinam optare compulit. exin' Iudæorum Synagogam in Diuæ Matris templum vertit, pietatis, ac pœnitentiæ haud dubiè exempla alia editurus, niſi immaturus Illum exitus occupaſſet. quarto etenim kal. Auguſti, equo lapſus, interijt, cum annos XLII. imperaſſet. Alterum ac quinquageſimum agebat annum Auguſta Soror; ergò Fratris morte liberas Imperij habenas nacta, moderari eas iurè cum poſſet, ſalubre nihilo minus conſilium jnijt, vt Marcianum belli, paciſque artibus clarum, coniugij titulo, nullo Virginitatis, quam Deo vouerat, diſpendio, ad Imperium aueheret, Senatu quoque, ac militibus ſuffragantibus. Is ex infimæ condicionis milite, ad ſumma euectus, probitate, ac Religione inſignis fuit. itaque cum triduo non amplius imperaret, legem in hęreticos promulgauit. tum ad Leonem literas humanitatis,

*Leo. ep 33.*

*Pulcheria reuocatur.*

*Niceph. l. 14. c. 49. Marcell. chron.*

*Theodoſij obitus.*

*Euagr l. 2 sc. 1*

*Marcianus Imp.*

*L. vlt. C. de*

*Apoſt. ant. Conc. Chalc.* tis, atque obſequii plenas dedit Epiſcopos extorres à Conciliabulo Epheſino factos, reuocauit. Flauiani quoque ſanctiſſimi Epiſcopi Reliquias Conſtantinopolim referri iuſſit. tum vero de Oecumenico Concilio celebrando agi cæptum. cæterum, dum Generale indicitur placuit Prouinciale Byzantii cogere, cui Leonis Legati, quos ad Theodoſium deſtinauerat, interſuere. *Synod. Byzantij.*

Hoc eodem anno dira fames Italiam ita vexauit, vt Patres vulgo ad neceſſaria alimenta Filios venundare coacti ſint. *Italia fame laborat.* extat Valentiniani reſcriptum poſteà promulgatum, quo Illis diſtractos tum liberos redimere permiſſum eſt. *Valēt. nouell. tit. 11. C. Th.* Subindè Attila recedens ſponte ex Oriente, copias conuertit in Occidentem. *Attila*

*Chri. Ann. 451.* Marciano Auguſto, atque Adelphio Coſs. Oecumenica Synodus Nicææ primò tum nè Princeps, qui adeſſe cupiebat, Byzantio longius recederet, Chalcedone celebranda indicitur, ad quam Leo Rom. Pont. nouam inſtituit Legationem. *S. Leo ep. 38. etſeqq.* *Synod. Chalcedonenſis.*

*Paul. Diac. l. 15.* At vero Attila, qui ſeptingenta ferè armatorum millia ductabat, Gallias impunè excurrens, omnia ferro, ac flamma populatur. nec tamen viribus ſatis fidens, ſi Romanis Gothi iungerentur; aſtu ſibi agendum exiſtimauit. itaque ſimul ad Valentinianum

Legatos mittit, auxilium aduerſus Gothos qui Galliam inſederant, pollicitus, ſimul cum Gothorum Regulis agit, imperium cum His æquo animo ſe partiturum ſpondens, ſi, iunctis ſecum viribus, Romanos inuadãt. vtroſque Barbarus ità in fraudem non impulit, vt maturare potius inter ſe foedus adegerit Igitur Romani Ætio Duce, Gothi Theodorico, ac Toriſmundo, Attilam ad internecionem cædunt. hæc eſt pugna in campis Cathalaunicis omni æuo memoranda, qua tantum humani ſanguinis effuſum dicitur, quantum non alio in prælio Scriptores tradant. ex victoribus Theodoricus occubuit: Toriſmundus prælio ſuperſtes Fratrum inſidijs, poſteà interijt. Attila, fuga elapſus, Illyricum petijt in Orientem profecturus, ſed à Marciani milite, antequam copias inſtauraret, repulſus, in Venetorum finibus, malo Aquileiæ fato, conſedit.

*Theodoricus. Toriſmundus. Pugna memorãda. Attila fuga.*

*Greg. Tur. l. 2. Sigeb. Chr.*

Dum hæc apud Occidentem peraguntur, apud Orientem Chalcedonenſis Synodus ſexcentorum amplius Epiſcoporum celebratur, cui Auguſtus Ipſe, atque Auguſta interfuere, inter prima Concilij decreta illud fuit, quo, Legatis Apoſtolicis flagitantibus, Dioſcorus Alexandrinus Antiſtes, non Epiſcopatu tantum deiectus, ſed Sacerdotij quoque miniſterio priuatus eſt. exin' in Barſumam Archimandritam

*Synodi Chalc. celebratio.*

*Euagr l. 2. c. 3 Nicеph. l. 15 c. 2 Liber. c. 13. tom. 2. Conc.*

tam qui maturandæ Flauiani necis Au-
thor fuerat, conclamatum eſt. abſolu-
ta dein' Synodus eſt diebus XIII. to-
tidemque Patrum Seſſionibus. quæ
verò in his geſta, ac conſtituta ſint, ex
Actis quæ extant, *& ab Authore hic
fuſius referuntur*, petenda ſunt.

Porrò cum ſanctiſſimis Concilij de-
cretis profligatæ, quæ tum vigebant,
hæreſes viderentur, religioſiſſimus Im-
perator in omnibus Chriſtianæ Reip.
conſultum volens, ſuo, & ipſe, de-
creto quicquid reliquum Gentilitiæ
*L. 7.* ſuperſtitionis eſſet omnino ſuſtulit,
*C. de* ſanctione, quæ adhuc extat, promul-
*Pagan* gata.

Chri. Tum, nouo ſubeunte anno Coſs.
Ann. Sporatio, & Herculano, iterato edi-
452. cto, inanes de Fide contentiones inhi-
*L. 4.* buit. cæterum in Iuſtiniani Codice
*C. de* appoſitus huiuſmodi Edicto Ricime-
*ſumm.* ris Conſulatus mendosè legitur, quo
*Trin.* Conſule Marcianus iam obierat.

*Conc.* At verò Anatolius, ex Dioſcori
*Chal.* damnatione, opportunam ſe nactum
*act.4.* occaſionem ratus, Conſtantinopoli-
tanæ Eccleſiæ primatum, poſt Roma-
nam, vindicare inſtituit. hac de re il-
*Ep. 53* lum Leo acriter increpuit, datis non
*& ſeqq* ad Eum tantum, ſed ad Marcianum
quoque literis.

*Euagr* Alexandrinæ interim Eccleſiæ Pro-
*l.2.c.5* terius præficitur; ægrè id tamen, qui
*Liber.* Dioſcoro plus æquo ſtudebant, fe-
*c. 14.*

rentibus, turbæ indè maximæ excitatæ ſunt, vt militari eas manu compeſcere opus fuerit.

*Turba à pſeudomonacis.* Maximi quoque motus, à pſeudomonachis Eutychianis exorti, Paleſtinam inceſſere. Hi Iuuenale Hieroſolymæ Antiſtite per vim pulſo, Theodoſium maleficum hominem ſubſtituunt; porrò Eudociam Aug. quæ ſacram tum Vrbem incolebat, in ſuam ſententiam pertractam, ſcelerum adiutricem aliquandiu habuere; quam tamen Euthymius Vir ſanctiſſimus ad meliorem poſteà frugem reuocauit, qui, & Anachoretarum complures mentis ſanitati reddidit. *Sur. 20. Ianuar.*

His Ipſis Coſs. Valentinianus indignam Chriſtiano Principe Sãctionem edidit qua iudiciale Epiſcoporum Tribunal abſtulit. quippè ius dicere Eos vetuit niſi in his, quæ ad Religionem pertinerent, aut niſi ſi collitigantes ex conſenſu Epiſcopum Iudicem delegiſſent. hanc poſtea legem Maiorianus Succeſſor abrogauit, haud dubiè diuino iudicio territus. quippè haud ita multo poſt, Attila, quem profligatum diximus, reſumptis viribus Aquileia nobiliſſima Italiæ Vrbe expugnata, aliiſque multis clade maxima affectis, Romam euerſurus properabat, niſi diuina Illum virtute Leo Pontifex abſterruiſſet. igitur infœlix Auguſtus ſacri Antiſtitis auxilio indiguit, *Nouel. Valẽt. tit. 12.* *Paul. Diac. l. 15.* *Attila Victoria. Romã ſperat A s. Leone reuocatur.*

guit, cuius imminuerat poteſtatem. Sacerdotalis hoc pacto dignitas dum à mortali deprimitur Principe, ab immortali ſupra Reges extollitur.

Hac ex Barbari Regis inuaſione, cum Venetæ Regionis Incolæ in Hadriatici Sinus paludes confugiſſent, nobiliſſimæ Venetiarum Vrbis ignobilia iecerunt fundamenta.

*Venetiarũ origo.*

Chri. Ann. 453. *Marcell. Chr. Theod lect. l. 1 ep. 62.*

Coſs. Opilione, ac Vincomalo Pulcheria Auguſta moritur, ætatis anno quarto, ac quinquageſimo. *Eius Enchomium apud Authorem hìc require.* Anatolij, de quo diximus, ambitu permotus Maximus Antiochenus, quò ſuæ Ipſe Eccleſiæ dignitati conſuleret, Legatos ad Leonem miſit. Is redditis ad Eum literis, quod iam cœperat, Illius ſe cauſæ non defuturum pollicetur: vtque Anatolij temeritatem infringat, nauiter pro Nicænorum firmitate Canonum agit, quibus, poſt Romanam Alexandrinæ, tum Antiochenæ, poſtremò Conſtantinopolitanæ in alias Chriſtiani Orbis Eccleſias prærogatiua tribuebatur.

*Pulcheria obitus.*

*Patriarchaliũ Eccleſiarũ prærogatiua.*

Ijſdem Coſs. Arelatenſe, tum Andegauenſe apud Galliam Concilia celebrantur. illi Cæſarium eiuſdem Vrbis Epiſcopum præfuiſſe conſtat, Virum doctrina, ac ſanctimonia conſpicuum, *de quo multa hìc Author.* Huius, hoc eſt Andegauenſis, præclara extant Decreta, *quæ pariter ab Au-*

*Synod. Arelatenſis. & Andegauenſis.*

*thore hic recenſita, peti ex eo poſſunt.*

Ætij cum Collega Studio Conſulatui, Ipſius Ætij funeſta Occidentali Imperio cædes adſcribitur, cuius fortunam Valentinianus ſuſpectam habens Virum bello egregium, quo publica nitebatur ſalus, interficiendum curauit; nec impunè. quippè rei inuidia apud omnes laborans, haud ità multò poſt inſidijs, & ipſe, appetitus interijt, quod ad ſequentis anni res geſtas referemus. ſunt qui tradant Ætium Ipſius Auguſti manu interemptum, vtcumque ſe res habeat, diuina vltione factum par eſt credere, ijſdem namque inſidijs perijſſe conſtat, quibus ille olim æquè inſignem Ducem Bonifacium circumuenerat.

*Chri. Ann. 454.* — *Ætij cædes.* — *Marcell. & Caſſ. Chr. Proc. de bell. Vand. l. 1. P. Diac. l. 15.*

Leo interim Pontifex, vt Orientalis Eccleſiæ res componeret, ſingulare ſtudium adhibebat. complures ſanè hoc anno literas ad Marcianum dedit, effecitque, vt Is in Alexandrinos Dioſcori Sectatores reſcriberet; tū ambitioſos Anatolij conatus compeſceret.

*Ep. 69 et ſeqq. L. 8. C. de Hær. Inſt. nouel. 131.*

Subindè Attila in nuptiali conuiuio, cum ſe vino oneraſſet, fœminea dextra, ſiuè, vt alij tradunt, ingenti ſanguinis profuſione, interijt.

*Attilæ mors.*

Subit annus Occidentalis Imperij caſu funeſtiſſimus, quo Valentinianus Aug. octauo ſuo cum Collega Anthemio conſulatu, Maximi inſidijs trigeſimo Imperij anno obtruncatur. Maximus

*Chri. Ann. 455.* — *Valẽniani cædes.* — *Maxi-* — *Marcell. &*

*Caſs. chron. Proc. debell. Vand. l. 1. Euagr l. 2. c. 7*

ximus Tyrannidem inuadit. Eudoxiam Auguſtam connubio ſibi iungit inuitam. exindè inito Barbaris cum Regibus fœdere, diuturnioris ſpem tranquillitatis fecit. verùm enimuerò foris prudens, domi incautior viſus eſt. quippè nouæ Coniugi, quam deperibat, ſtultè fidens, amore Ipſius percitum, Viri exitium maturaſſe ſe, per ſummam imprudentiam, faſſus eſt. itaque bis iam offenſa Mulier, vlciſcendæ iniuriæ auida, Genſericum Vandalorom Regem accerſit ex Africa, ſua Ipſius, ac Patriæ ruina Tyrannum oppreſſura. Rex Barbarus Romam properè delatus, illam præſidio vacuam primo ſtatim aduentu capit, ac diripit, Tyranno in primis interfecto; Leonis tamen Pontificis diuina eloquentia delinitus, à Ciuium cæde, ac Templorum direptione abſtinuit; tum, præda onuſtus, Africam repetit, Eudoxiam Auguſtam captiuam, cum Eudocia, ac Placidia Filiabus abducit.

*mus Tyrānus, — Eius imprudētia. — Roma à Genſerico capta.*

Auitus interim, qui Prætorij, ac Galliarum Præfectus à Valentiniano, à Maximo autem Militiæ Magiſter conſtitutus fuerat, Auguſtus appellatur, Theodorico in primis adnitente, quocum fœdus Maximi nomine Orator pepigerat. verùm Maximi odio cuius Inſaniæ Vrbis direptio tribuebatur, Senatus, Populique inuidiam paſſus, deponere Imperium cogitur, octauo,

*Auitus Imp. — Imperiū deponi.*

poſtquam illud inierat, menſe. Cum Imperio Conſulatum quoque Ei abrogatum conijcere ex eo licet, quod, cum poſt initum Imperiũ, Conſulem fuiſſe ex Sidonio conſtet, duo tamen alij, Ioannes, ac Varanes Conſularibus, hoc anno, Faſtis adſcribuntur. Chri. Ann. 456. *Euagr l.2.c.7 Nice. ph. l. 15. c. 11. Sigeb. Chr.*

*Francorum Regni origo.* Hac tempeſtate, Pariſijs à Childerico captis, Francorum Regnum ortum habuiſſe tradunt.

At Genſericus diram apud Africam perſecutionem in Catholicos iterum inſtituit, de qua pluribus Victor huius ætatis Scriptor, *& ex Eo hic Author, quos require.*

*Marciani obitus.* Coſs. Conſtantino, ac Ruſo Marcianus moritur, Principatus anno VII. Vir, etſi bello ſtrenuus, Pacis tamen ſtudioſior, probitate, ac Religione nulli Auguſtorũ ſecundus, inter optimos iure numerandus. Chri. Ann. 457. *Marcell. & Caſſ. Chr.*

*Leo Imp.* Marciani obitu, Leo Thrax genere, Homo Tribunicius, Senatus, ac Militum ſuffragio Imperium capeſſit, ab Anatolio autem, ſolemni ritu, inauguratur. ad Hunc gratulatorias, ex more, literas Leo Romanus Pont. dedit, enixèque hortatus Eum eſt ad catholicæ tutelam Fidei ſuſcipiendam. hoc veluti claſſico nouus Auguſtus excitatus, nihil prius habuit quam vt Sanctione ampliſſima, à Deceſſoribus Edicta aduerſus hæreticos promulgata, firmaret, quæque haud ita *Nice. ph. l. 15 c. 15.*

pri-

pridem pro Cahlcedonenſis ſtabilitate, Synodi Marcianus ediderat, comprobaret.

*Theod lect. l. 1* At verò Alexandrini, ex His, qui Dioſcoro fuerant ſuffragati, eaque ex cauſa Succeſſori erant infenſi, Proterium adorti, miſerè trucidant, Thimotheum nefarium Hominem in Sede collocant, qui eò dementiæ progreſſus eſt, vt cum Conſtantinopolitano, atque Antiocheno, Ipſum quoque Romanum Pont. atque adeò Epiſcopos omnes, cum Chalcedonenſi damnaret Concilio, vniuerſæque Eccleſiæ negocium faceſſeret.

Sub idem tempus Rauennæ Occidentalis Imperij Auguſtus dicitur Maiorianus. Hic inter prima Principatus rudimenta Vandalos, quos Campanum in litus Genſerici Claſſis effuderat, profligauit. *Maiorianus Imp. Vãdalos fugat.*

Chri. Ann. 458. Nouus annus vtroque Auguſto Coſs. aperitur. Maioriani quidem Conſulatum Panegyri illuſtrauit Sidonius Apollinaris Orator, ac Poeta illorum temporum elegantiſſimus, qui & genere clariſſimus fuit, cum Auiti Aug. Generum fuiſſe conſtet. *Sidonius Apollinaris.*

*Maior nouall. tit. 3. 4 & 8.* Extant inter Principum Placita Maioriani Sanctiones ſanè laudandę inter quas illa, ne Filiæ Virgines ad ſacrum Velum ſuſcipiendum adigerentur inuitæ, neuè illud ante quadrageſimum ætatis annum reciperent, & interim

integrum Illis eſſet nubere, ſi voluiſſent: quam Leonis Papæ ſuaſu tuliſſe ex eo conſtat, quod perſimilem Leo Ipſe tulit, vt ex Eius Actis habetur.

*Leonis Imp. zelus.* Exindè Leo Auguſtus à Romano Pont. pro componendis Orientalis Eccleſiæ rebus, Legatos expetijt, excepitque. tum qui ipſo Imperij exordio, ad catholicæ Fidei firmitatem, illius profeſſionem ab Epiſcopis celebrioris nominis requiſiuerat, eandem hoc anno à præcipuis Anachoretis, datis ad eos literis, expetijt. *Euagr l. 2. c. 12.*

*Terræmotus.* Eodem fere tempore terræ vbique motus vehementior Vrbes, atque adeò Regiones ipſas concuſſit: Antiochiam tamen, præ Vrbibus cæteris, deformauit.

*Anatolij obitus. Gēnadius. ſuccēdit.* Inter hæc Anatolio Byzantij Antiſtite morte ſublato, Gennadius eiuſdem Eccleſiæ Presbyter, inſignis Vir doctrinæ, ac probitatis, ea in Sede collocatur. eodemque tempore, Iuuenali Hieroſolymitano, Anaſtaſius ſubrogatur. *Theod lect. l. 1. Niceph. l. 15. c. 22.*

Sequenti anno Conſulatum Ricimer, ac Patricius iniere, quo tempore Leo Aug. ſuſceptis Apoſtolicæ Sedis Legatis, Conſtantinopoli Concilium ex vicinis Prouincijs cogi curat. adfuere Epiſcopi LXXIII. ex huius porrò Synodi Actis, vnus tantum aduerſus Simoniacos extat Canon. actum verò in ea fuiſſe de Eutychiana *Chri. Ann. 459.* *Conciliū Byzātij.*

hæreſi

hæreſi penitus abolenda, nulla poteſt eſſe dubitatio.

Peracta Synodo, celeberrima ab Epiſcopis facta eſt Baſilicæ à Marciano erectæ, quæ *Anaſtaſia* dicebatur, conſecratio.

Rebus alijs apud Occidentem geſtis ſilentio obrutis, Leonis tantum decretalis Epiſtola data hoc anno legitur ad Epiſcopos Samnij, Campaniæ, ac Piceni, de ſeruanda antiqua Eccleſiæ traditione, vt non niſi Paſchę tempore, ac Pentecoſtes, citrà neceſsitatem ſacrum Baptiſma adminiſtraretur, neuè peccatorum confeſſio niſi ſècretò perageretur.

*Ep. 80.* — *Epiſtola Decretal. De Baptiſmo & pœnitentia.*

Chri. Ann. 460. *Liber. c. 15.*

Sexageſimus, ac quadringenteſimus à Chriſto nato annus Coſs. habuit Magnum, atque Apollonium, cuius initio Leo Aug. haud dubiè ex coactæ nuper Synodi Decreto, Timotheum Alexandrinæ Eccleſiæ inuaſorem deturbari Sede iuſsit, dato ad Præfectum Auguſtalem Reſcripto.

Timotheo exacto, ac Cherſonam poſteà relegato, eiuſdem nominis Succeſſor illi datur.

*Cedrē ī Leon.* — *Simeonis Stylitæ obitus.*

Hoc demum anno Simeon Stylita, Orbis miraculum, vitæ diem clauſit extremum centenario maior, poſtquam, exemplo ad poſteros memorabili, columnam octuaginta amplius annos inſediſſet. Hunc æmulatus Daniel, qui ab anno ætatis XII. mona-

*Daniel Stylitæ*

ſticum inſtitutum ſequutus fuerat,
haud diſpari apud Orbem gloria, ve-
luti alter Eliſeus Eliæ ſpiritum nactus,
conſcenſa, & Ipſe, Columna, ad Pon-
ti Oſtia conſedit.

*Eudo-* Hoc item anno Leonis Principatus
*cia,* IV. Eudocia Theodoſij Coniux in
*Maio-* Hieroſolymæ ſeceſſu moritur, ætatis
*riani,* anno ſeptimo, ac ſexageſimo.

*& s. Le* Seuerino, ac Dagalaipho Coſs. Ma- Chri.
*onis obi* ioranus laudatus Princeps apud Der- Ann.
*tus.* tonam Hiſpaniæ Vrbē Ricimeris Go- 461.
thi militiæ magiſtri, qui Seuerum eue-
xit, fraude extinguitur. Leo quoque
Pontifex re, ac nomine Magnus ter-
tio Idus Aprilis moritur, cum annos
ſediſſet paulo amplius XX.

*Hila-* Leoni ſublegitur Hilarus, de quo *Adan.*
*rus* alibi meminimus cum Epheſini Con- 449.
*PP.* ciliabuli geſta recenſuimus.

Qui ſequitur annus vtroque Augu- Chri.
ſto Coſs. clarus, cætera obſcurus, Ann.
*Mira-* Scriptorum ſilentio, habetur. illud à 462.
*culum* Cedreno traditur, Pictori Chriſtum
*de Pi-* forma Iouis pingere aggreſſo, ma-
*ctore.* num exaruiſſe; porrò cum facinoris
Eum pœnituiſſet, crimenque Genna-
dio Epiſcopo faſſus eſſet, Eius preci-
bus dexteræ vſum recępiſſe.

Alio poſtmodum ſubeunte anno Chri.
Coſs. Decio Baſilio, ac Vibiano, Ann.
*Cõcil.* Concilium Arauſicanum II. celebra- 463.
*triplex* tur, tum Eiſdem ferè Epiſcopis co-
ęuntibus, Carpentoratenſe, ac dein-

geps

ceps Vaſatenſe. Quo tempore Eliſei *Eliſei*
cineres, haud dubiè qui Iuliani furo- *cine-*
rem euaſiſſent, Alexandriam tranſla- *res.*
*Sup.* ti dicuntur, cuius apud Sebaſtem
*ad an.* Monumentum Eius iuſſu profanatum
*362.* diximus.

Nouum annum Ruſticus, atque
Chri. Olibrius auſpicantur; quibus Coſs.
Ann. Euaricus Gothorum Rex Theodori- *Euari-*
464. co Fratre fraude ſublato, partum ſce- *cus Go*
*Iſid.* lere Principatum init, Galliam, atque *thorũ*
*Chr.* Hiſpaniam populatur. Leges Genti, *Rex.*
*æra* quæ hactenus exlex fuerat, perſcri- *Leges*
504. bit; Authores licet alij Theodorico *ſcribit.*
has tribuant.

Porrò apud Orientem Leo Aug.
Danielis, quem diximus, ſanctitatis,
ac miraculorum fama permotus, vna
*Sur. 11* cum Gennadio Antiſtite illum inuiſit, *Leo*
*Decẽb.* ad genua procumbit, pedes oſcula- *Imp.*
tur, & tumentes eos quidem, atque *ad Da*
vlceroſos. nec ſtatim receſſere. quip- *nielẽ*
pè Gennadius ſanctum Virum, quam- *Styli-*
quam renuentem, Sacris initiandum *tam.*
exiſtimauit. tum Ei Daniel futurum
Regiæ Vrbis incendium prædixit; *Byzan*
Chri. quod reuertente demum anno Coſs. *tij in-*
Ann. Erminiano, ac Baſiliſco renunciatis *cendiũ*
465. ex ſancti Viri prædictione accidit, vi-
*Euagr* guitque ad dies quatuor, ſeu, quod
*l. 2. c.* alij tradunt, ſex, clade maxima mor-
*13.* talibus æquè, ac ædificijs illata. va-
ſtata Vrbs eſt à Boreali parte ad Au-
ſtralem ad Stadia quinque, ab ortu So-

lis ad occaſum, ad quatuordecim. huiuſmodi poſteà incendijs vt conſuleret Zeno Princeps, qui Leonem ſequutus eſt, legem promulgauit, qua edixit, vt priuata etiam ædificia ſeorſim ſingula duodecim inter ſe pedibus diſiuncta, inſularum more in poſterum extruerentur.

*Lex de domibus ſeorſim extruendis.* *L. 12. de priu ædif.*

Extremo hoc anno conuenerant ex more Epiſcopi L. Hilari Romæ Natalem, hoc eſt annuum Eius Conſecrationis diem celebraturi, *ex Suburbicis*; vicinioribus nempè Vrbi regionibus. ea occaſione Synodus, cuius Acta extant, celebratur.

*Synodus Roma.* *Conc. to. I.*

Seuerus indè Aug. Ricimeris, à quo euectus ad Imperiũ fuerat, dolo ſublatus eſt, veneno Eidem propinato. interregnum ad ſexquiannum productum eſt, Vandalis interim non Italiæ tantum, verum etiam Illyrici, Græciæ, atque Ægypti littorales oras, Inſulaſque omnes populantibus.

*Seueri Imp. obitus.* *Marcell. & Caſs. Chr.*

Nouus annus Leonem tantum Aug. Coſ. habuit cuius initio ampliſſimum ab Eo Reſcriptum prò Eccleſiæ immunitate ad Eritræum P. P. datum legitur.

*Chri. Ann. 466.* *L. 6. C. de his qui cõfug. ad Eccl.*

Per idem tempus Euaricus Gothorum Rex, ex Hiſpania, in Galliam profectus, Prouinciam populationibus infeſtam habebat, cum ab Ecdicio Auiti olim Aug. Filio, qui priuatis viribus exercitum comparauerat, non fine

*Ecdicius Auiti filius.*

Numi-

Numinis quam Galli religioſè implorauerant, ope, vincitur.

Sub eodem Leonis Conſulatu moritur S. Proſper Regienſis apud Aquitaniam Epiſcopus maximus Catholicæ Fidei propugnator.

Chri. Ann. 467. *Sidon. in Paneg. Anthem.* Poſt diuturnum, de quo diximus, Interregnum, Romano Senatu, ac Ricimere (cuius fere nutu res tum Occidentis gerebantur) per Legatos id poſtulantibus Anthemius Orientalis Imperij Senator Romam à Leone mittitur, ac Auguſtus appellatur Flauio Puſeo, ac Ioanne Coſs. quo tempore vulgaris per Italiam lues latè graſſabatur. *Anthemius Imp.* *Peſtis in Italia.*

Sub ipſum noui Cæſaris aduentum Hilarus moritur Pontificatus anno VII. Huic Simplicius ſubrogatur, apud quem Leo Aug. (quod anteà nequicquam à Leone, ac Hilaro expetierat) ſedulo egit, vt Calcedonenſium Patrum Decretum ratum haberet, quo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, poſt Romanam Primatum detulerant. verum & Simplicius Leonis conatui vehementer obſtitit, vtque ab incepto deſiſteret, non per literas tantum, ſed miſſo etiam ad hoc Probo Epiſcopo Canuſiano, etiam atque etiam hortatus eſt. *Hilari obitus.* *Simplicius ſuccedit.* *Gelaſ. ep. 11.*

*Sidon. l. 1. ep. 6, & 9.* Hac tempeſtate Sidonius Apollinaris, Anthemij accitu, è Gallia, Romam venit. *Sidonius Rom*

Anthemius Aug. qui XIII. ante annum Valentiani Collega in octauo illius Conſulatu fuerat, Conſulatum hoc anno iterum auſpicatur abſque Collega, Sidonium, quem diximus, laudatorem nactus.

Chri. Ann. 468.

*Sidon. ep. 9. & in Paneg*

Apud Orientem porrò Leo Aug. ſemel, atque iterum in Paganos reſcripſit. tum Eiſdem Coſs. ingentem aduerſus Genſericum Vandalorum Regem paratam claſſem Baſiliſci Ducis inertia, ſiue, vt alij tradunt, proditione, maximo cum Reip. damno, amiſit; proſperè tamen terreſtri prælio aduerſus Hunnos pugnatum eſt, Dentice Attilæ Filio Patrem ferocia ſuperante, profligato, ac perempti capite Byzantium perlato.

*L. 15. C. de Epiſc. Aud. Nicephl. l. 15 c. 27. Marcell. chron.*

*Dentices Attila filius.*

Chri. Ann. 469.

Subindè Leo Princeps, Zenone Genero Conſule, cum Marciano Collega renunciato, Aſparis, ac Filiorum potentiam, in dies magis ſuſpectam habens, vi eos perdere cum nequiret, arte ſibi agendum exiſtimauit. itaque Filiorum alterum, cui Patriciolo nomen erat (cum alter Ardaburius, ex Aui nomine vocaretur) Cæſarem ſe dicturum pollicetur. hoc cum vulgatum eſſet, nec tamen Auguſti conſilium pateret, à Catholicis omnibus, Clericis in primis, ac Monachis, tumultuatum eſt, quod Arrianos homines Imperio potiri neſas ducerent. At pius Imperator probè ſciens proſpere

*Zon. an. to. 3.*

ſpere ſibi cuncta ceſſura, cum purus Religionis cultus cordi eſſet conciliandæ ſummo in diſcrimine Diuinitati, ad feſtorum dierum cultum augendum, ac Simoniacam prauitatem emoliendam, leges ſanctiſſimas promulgauit.

Chri. Ann. 470. *Euagr l. 2. c. 17. Nice-ph. l. 15 c. 27.* Tum demum LXX. huius ſæculi anno appetente, Coſs. Iordano, ac Seuero, quem Seuerianum alij vocant, Aſparis, ac Filiorum meditatam diu necem exequitur, Zenone adminiſtro; quem hoc ipſo facinore Ariadnæ Auguſti Filiæ nuptias promeritum quidam tradunt, cum alij iam tum Leonis generum Zenonem fuiſſe teſtentur. *Zeno Leonis Gener.*

Chri. Ann. 471. Subindè quartum Collega Probiano Conſulatum Leo Auguſtus init; quo tempore Gennadius Antiſtes laudatiſſimus mortem obijt, cum annos XIII. functus ſacro Miniſterio fuiſſet. *Gennadij obitus.*

Gennadio Succeſſor datur Acacius, qui Orfanorum Collegio Præfectus erat, de quo crebrò deinceps ſermo erit. *Acacius ſuccedit.*

*Theod lect. l. 1* Delectus interim Orientis Comes Zeno, Antiochiam cum proficiſceretur, Petrum quemdam, cognomento Fullonem, ſecum duxit, hominem miſcendis turbis, vt qui maximè, idoneum. Huius opera, Zenonis potentia effectum eſt, vt Martyrius Sanctiſſimus Antiochiæ Epiſcopus pelleretur, *Petrus Fullo.*


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur, ea verò Eccleſia, ac Ciuitas vniuerſa diuturniori motu agitaretur. Porrò apud Occidentem Ricimer, penes quem vires erant Imperij, Aſparis, ac Filiorum cæde, quibus cum occultò fœdus pepigerat, audita, Leoni infenſior redditus, Anthemium Socerum, vtpotè Leoni obnoxium, cuius beneficio imperabat, inſidijs appetit, his tamen detectis, Mediolanum concedit. hinc iterum inſidias circumſpiciens, Epiphanio ſanctiſſimo Ticinenſi Epiſcopo Legato ad Anthemium miſſo, ſimulatam cum eo pacem componit, quo nefaria tutius conſilia exequatur.

*Ricimer Anthemio inſidiatur.*

Hoc eodem anno Eudocia Iunior, quæ vna cum Matre, ac Sorore captiua in Africam ducta à Genſerico fuerat, atque Hunerico Genſerici Filio matrimonio iuncta; Arriani hominis conſuetudinem pertæſa, Hieroſolymam aufugit; haud diu tamen ſuperſtes, iuxta Eudociam Auiam ſepulta eſt.

*Eudocia Iunior.* *Niceph. l. 15. c. 12.*

Sub huius quoque anni Coſs Veſuuius Campanię Mons inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta, vt ait Marcellinus, vomuit viſcera. itaque eiecti per vim cineres Conſtantinopolim peruenere, tanto eius Vrbis terrore, vt, Procopio teſte, rei poſtmodum memoriam celebrauerit, annuiſque ad Deum ſupplicationibus, ad ſua vſque tem-

*Veſuuij incendiũ.* *Eius cineres Byzãtiũ delati.* *In chrõ Caſſ. Var. l. 4. c. 50.*

tempora placare conſueuerit.

Duo item alia hoc anno mira acci-
Lib. 15 diſſe, Nicephorus tradit. alterum de-
c. 23. Catholico Epiſcopo cum Arriano altercante, cum ad catholicam firmandam veritatem, Ille rogum ingreſſus, flammas innoxias expertus eſt. alterum de Iudæo Archiſinagogo, qui, quaſi tumultus concitator, correptus, igniqueꝫ traditus Sergij Martyris, miraculorum fama celebris, patrocinio implorato, Ipſoque innocentiæ ſuæ teſte inuocato, inter flammas diutius, omnium cum admiratione, integer cum perſtitiſſet, Populi cōcurſu exemptus eſt. tum, Baptiſmate initiatus, aſſumpto Sergij nomine, Liberatori Templum ex diuendito patrimonio, ipſo in ſupplicij loco, excitauit. *Mirũ de Iudæo.*

Sur. 13. Ian. Hoc eodem anno contigit Remigij, qui Galliæ Apoſtolus dici meruit, Rhemenſis Epiſcopi, diuinirus facta conſecratio, cum non niſi annum ſecundum ageret ſupra vigeſimum; de cuius eruditione, ac facundia, præter ea que de eximia Illius ſanctitate dicturi deinceps ſumus præclarum ex-
Ep. 7. tat Sidonij, quem ſupra laudauimus, teſtimonium. *S. Remgiius*

Chri. Ann. 471. Nouis Coſs. Romæ Feſto. Marciano Byzantij renunciatis, Acacius Leonem Principem paulò in ſe propenſio-
Gelaſ. ep. 11. rem nactus, at non æquè Simplicium, veterem de primatu quæſtionem mo-

uet,

uet, vtque Alexandrinũ Antiſtitem minus ſibi aduerſantem experiatur, impiũ illum Timotheum, quem Auguſti iuſſu relegatum diximus, reſtitui curat.

*Anthemij obitus. Olibrius ſuccedit.* Iiſdem Coſs. Occidentali Imperio in dies pronius collabente, Ricimer, dira fax Reip. Anthemio Socero fraude ſublato, Olibrium imperare iubet. *Caſſ. chron.*

Per idem tempus Sidonius Apollinaris eximiæ, vt diximus, Vir doctrinæ, ac generis claritatis, Aruernenſis Epiſcopus conſecratur.

Sequenti autem anno Occidentalis Imperij rebus vehementius perturbatis, Latino Coſ. Faſti caruere; Leone tantum Aug. Byzantij dicto. quo tempore Olibrius, non dum impleto Principatus anno, occiditur, cui Glicerius Rauennæ à Gothis militibus ſubrogatur, annuus & Ipſe Imperator. quo Principe Oſtrogothi, Duce Vindemiro, Italiam inuadunt, dum alia interim ex parte Orientale Imperium prædæ ſubijcitur Theodomiri. Cæterum Vindemirus, ſub ipſum in Italiam ingreſſum, moritur, Filio cognomine hærede relicto. Hunc Glicerius, muneribus deuinctum, Italia ſponte cedere Galliam petere haud ægrè compulit. *Chri. Ann. 473. Caſſ. chron. Iordã. de reb. Goth.* *Olibrij obitus. Gilcerius. ſuccedit. Oſtrogothi Theodomirus. Vindemiri Pater & fil.*

*S. Seuerinus.* Hac tempeſtate S. Seuerinus, qui Noricorum Apoſtolus dictus eſt, eam Prouinciam exemplo, ac miraculis illuſtrabat. cuius res geſtas Eugippius

Ab-

Abbas poſteris tradidit; *ex quo multa hic apud Authorem habes.*

*Marcell. & Caſſ. chron.* Hoc eodem anno ex Zenone Genero, atque Ariadna Filia eiuſdem cum Auo nominis Nepos Auguſto naſcitur, atque Auguſtus appellatur. cæterum vix decimo exacto menſe morte ſublatus nec lætari adepto, nec dolere amiſſo Imperio potuit. ex quo Eorum ſententia exploditur, qui Illum iam Adoleſcentem, & rationis compotem, in Principatus Societatem Patrem vocaſſe comminiſcuntur. *Leo Iun. Imp.*

Chri. Ann. 474. *Marcell. Chr. Euagr l. 2. c. 16.* Nouo ſubeunte anno, Iunior Auguſtus Conſulatum gerit, quo non Ipſe tantum, ſed cum Eo etiam Auus, vitæ exitum ſortitus eſt, qui, cætera laudandus, ex eo haud leuiter peccaſſe viſus eſt, quod nequiſſimis ſucceſſoribus viam ad Imperiū munierit. Sunt qui tradant Leonem Puerum à Zenone Patre occidi iuſſum, à Sicario (alio pro eo interfecto) ſeruatum occultèque educatum, ad Iuſtiniani vſque tempora perueniſſe. Filio itaque, cum Socero, ſublato, Zeno, qui nec animum Imperio dignum haberet, nec ſpeciem, rerum potitur. *Vtriuſque Leonis Augg. obitus.*

Dum interim apud Occidentem Iulius Nepos Principatum inuadit, Glicerium deturbat, ſeruatumque priuatam agere deinceps vitam permittit. Is poſteà in Clericum attonſus, Salonitanus Epiſcopus conſecratur. *Iulius Nepos Imp. Glicerium pellit. Glicerius Epus euadit.*

No-

Nouus Princeps, è Republica id eſſe ratus, pacem illico per Legatos à Gothorum Rege Euarico petit, impetratque.

*Chri. Ann. 475.*

*Oreſtes filio Auguſtulo Imperiũ parat.*

At dum ſibi ab Hoſtibus cauet, ſuorum inſidias vitare nequit, ſequenti quippè anno Zenone Coſ. abſque Collega, Oreſtes, qui militiæ Magiſter erat, ad Momilium Filium, cognomento Auguſtum, quique Auguſtulus, contemptus gratia, dictus eſt, Imperium à Militibus deferri curat. ergò qui Nepotis partes ſectabantur, quò ſe magis viribus deſtitutos ſentiunt, eò ſollicitè magis conſilia ſecum voluere, artes omnes quibus de Proditore Oreſte pœnas ſumant meditari incipiunt. quamobrem nulla imminentis ex eo Italiæ cladis ratione ducta, Herulos, Germaniæ Populos, Duce Odoacre in eam immittunt.

*Heruli in Italiã acciti.*

*Euarici perſequutio.*

*Rogationũ vſus.*

*S. Mamercus.*

*Sidon. l.3.ep. 1.*

Dum Herulorum arma comparantur, Euaricus, qui non Regnum modò, ſed Arrianam quoque perfidiam propagare omni ope laborabat, Galliæ Vrbes, atque Eccleſias inſigni clade affecit. Hoc tempore ſacrarum Rogationum vſum (in vniuerſum poſteà Chriſtianum Orbem inuectum) ex S. Mamerci Epiſcopi inſtitutione, initium apud Galliam ſumpſiſſe ferunt.

Thimoteus interim, quem Alexandrinæ Eccleſiæ inuaſorem à Leone Aug. relegatum, Acacij opera reſtitu-

tum diximus; neſariè in Catholicos debacchatur, tum Byzantium delatus, Zenone conniuente, Eutychianos ibidem complures nactus, eam quoque Eccleſiam perturbare aggreditur; vt Byzantij Clericis, ac Monachis Zenonis, atque Acacii præſidio deſtitutis, ad Rom. Pontificis patrocinium confugere, Legatione ad Eum miſſa, opus fuerit.

Chri. Ann. 476. *Marcell. & Caſs. chron.* Occidentali Imperio ad interitum properante ſequẽti anno, ambo Coſs. apud Orientem creantur Baſiliſcus, atque Armatus. quo tempore Odoacer, Oreſte acie victo, ac cum Paulo Fratre interfecto, Auguſtulum metu perculſum, Imperio exuit, atque in Campaniam relegauit. Rex ipſe Barbarus, Italia potitus, à purpura, ac Imperii titulis abſtinuit. Hoc demum pacto Romanum Imperium ab Auguſto partum, cum Auguſtulo extinguitur, cum annos ſtetiſſet paulò amplius quingentos. *Oreſtes victus, ac caſus. Rom. Imperij caſus.*

Hoc Romani imperii caſu Italia in primis concuſſa eſt, quæ tamen, poſt partam à Barbaris victoriam tranquilliori deinceps rerum ſtatum quieuiſſe viſa eſt. quippe Rex victor, quantumuis Arrianus, annis ſanè pluribus nec rebus ſacris negocium faceſsiuit, & politicum regimen modeſtè admodum vſurpauit.

*Simpl. ep. 3. et ſeqq.* Simplicius interim Romanus Pont. *Simpl. zelus.*

quam

quam diximus, Legatione excepta, ad Zenonem atque Acacium, tum ad ipſos Byzantij Clericos, ac Monachos literas tanto Paſtore dignas dedit, *quæ ab Authore hìc recitantur*. Verum enimuerò quid Paſtorem ex occidente clamantem Zeno audiret qui præſentem Acacium tacere iuſſerat? quid porrò imbelles Clerici, Monachiuè, ad Tyrannum ab impietate reuocandum, moliri poſſent, niſi precibus apud Deum agentes, Illum demum, vt periclitanti Orientali Eccleſiæ opē ferret, exoraſſent? ergò Dei prouidentia factum eſt, vt Baſiliſcus arma in Zenonem caperet, ac Principatu Eum deturbatet, extorris itaquè factus Zeno, eam ob calamitatem, ac Danielis Stylitæ, quem ex fuga adiuerat, hortatu, haud ægrè reſipuit, tum ex Eiuſdem ſancti Viri prædictione, vbi ad ſexquiannum, rerum omnium egens, apud Iſauriam latuiſſet, amiſſum recipit Principatum.

*Marcell. Chr. Theod lect. l. 1*

*Baſiliſcus Zenonem pellit.*

Cæterum Baſiliſcus Zenone haud dubiè deterior, rem interim Catholicam, nefaria aduerſus Chalcedonenſe Concilium Sanctione edita, adhuc grauius afflixit: vtque Tyrannidem ſtabiliret, ipſo ſtatim exordio Principatus, Marcum Filium Auguſtum appellauit.

*Euagr l. 3. c. 4*

*Marcū fil. Aug. dicit.*

Exindè Acacius, è ſomno veluti experrectus; Tyranno ſuſ dequè res

*Euagr ibid. c. 7.*

*Theod lect l.* 1 *Nice-ph. l.* 16. *c.* 6 æquè ſacras, ac profanas miſcenti, vi maxima obſiſtere aggreſſus eſt. igitur Sanctiſſimis Anachoretis, alijſque laudatis Viris Conſtantinopolim euocatis, Danielem quoque Stylitam è Columna, quam inſederat, ad Veritatis Columnam, & collabentem Eccleſiam fulciendam, conatu maximo adhibito, pertraxit. Horum authoritate, Danielis in primis, qui multa interim mira patraſſe dicitur, maxima aduerſus Tyrannum inuidia apud Populum conflata eſt. itaque Vrbs ipſa Regia iniecto, in Eius odium, igne, miſerè eſt. deformata abſumpta eo incendio Bibliotheca inſtructiſſima, Librorum millia vicena habens ſupra centena. in qua, præter alia mira, Principum ſtudio, atque æmulatione illuc congeſta, Draconis inteſtinum fuiſſe dicitur cētum, ac viginti pedum longitudine, in quo Homeri Ilias, atque Odiſſea, tum rerum ab Heroïbus geſtarum Hiſtoria aureis literis legebantur. alia præterea illuſtrium Artificum egregia monumenta eodem incendio periere. His permotus Tyrannus, iratos Ciues hac rationè eludere ſe poſſe ratus, rerum impiè geſtarum pœnitentiam ſimulat: Sanctionem, quam diximus, vt Simplicium, atque Acacium æquiores habeat, Decreto abrogat: Danielis pedibus aduoluitur. verum his adeò non profe-

*Byzātij incēdium. Bibliotheca abſumpta. Quæ in ea mira.* *Baſiliſci artes.*

cit, vt, ſimulatione per Danielem detecta, grauiori in dies odio apud omnes laborauerit. itaque Senatus ipſe, datis ad Zenonem literis, ad amiſſum Imperium reſumendum illum hortatur. quod, ex omnium voto, ſequenti demum anno perfectum eſt.

*Iudæorũ Talmud.* Dum his Orientale Imperium motibus agitaretur; præcipui Iudæorũ impoſtores Rabbi Aſſe, & Rabbi Hæmmai Babilonicum Talmud ineptijs æquè, ac blaſphemijs refertum, conſarcinarunt. tertia hæc fuit fabularum collectio: nam prima habita eſt anno CL à poſtrema Hieroſolymorum clade Iudæi Simeonis Opus ſecunda à Rabbi Ioannam perſimili poſtmodum annorum interuallo; quæ à Sixto latius traduntur. *Sixt. l. 2.*

*Genſerici mors.* Inter hæc Genſericus Vandalorum apud Africam Rex, quadrageſimo ferè Principatus anno, moritur, Regum, ob Romam ſimul, ac Carthaginem expugnatas celeberrimus. Eo ſublato *Hunericus fil. ſuccedit.* Hunericus Maior natu Filius Regnum capeſſit. Is ipſo Regni exordio in Catholicos æquior, Manichæos vndique conquiſitos, aut incendit, aut, nauibus impoſitos, extra Africam ablegauit.

Chri. Ann. 477.

*Zeno Imperiũ recuperat.* Vtriuſque Imperij ſtatu ita, vt diximus, perturbato, ſequens voluitur annus abſque Conſulibus; cum Zeno, exercitu haud ſegniter comparato, in- *Proc. de bell.*

*Vand.* feſto agmine Byzantium petit. at Ba-
*Euagr* ſiliſcus ſiuè ob ſegnitiem, ſiuè vt By-
*l.3 c.8* zantij Ciues in officio contineret, ob-
*Suid.* uiam Ipſe procedere nequaquam au-
*in Baſi* ſus, Armatum Exconſulē Militiæ Ma-
*liſco.* giſtrum cum copijs in Zenonem mittit. Is, vt primum in Illius conſpectum venit ad Ipſum cum exercitu defecit. proditionis accepto nūcio Baſiliſcus, in Templum confugit, ex quo tamen, vt impius Hæreticus, ipſarumque ſacrarum Ædium expoliator, Acacij iuſſu, extrahitur, ac Zenoni traditur, à quo cum Vxore, ac liberis gladio, ſeu, quod alij tradunt, fame extinguitur. Zeno incruenta potitus victoria, factuſque à vexatione ſapientior, & Danielem, Columnæ redditum, ſup- *Baſiliſcus necator.*
*Simpl.* plex adit, & ad Simplicium cum Fidei
*ep.7.* profeſſione ſcribit: tum verò Templum accepti à Deo beneficij monumentum D. Teclæ Prothomartyri, regio ſumptu, extruit. inſuper, Simplicio ſuadente, Hæreticos Epiſcopos, niſi ſi qui, veniam poſtulantes, ad catholicam communionem recepti fuiſſent, exigit. hoc ipſum cum metue-
*Liber.* ret impius Timotheus, licet antea
*c.16.* apud Zenonem gratia plurimum valuiſſet, ex ſcelerum conſcientia, mortem ſibi Ipſe conſciſcit.

*Gild.* Sub idem tempus Ambroſius qui- *Ambr.*
*de ex-* dam Aurelianus Rom. Ciuis, purpu- *Aure-*
*cid.* ra aſſumpta, Ducem ſe Britannis præ- *lianus.*
*Brit.*

buit ad Angloſaſſonum iugum, quo iam diu premebantur, excutiendum; quod cum fœliciter præſtitiſſet ſpeciem quandam Occidentalis Imperij reſtituiſſe viſus eſt.

Qui ſequitur annus vno tantum Conſule inſcribitur Illo V. C. Byzantij renunciato. id eam ob cauſam factum videtur, quod de componenda inter Odoacrem, ac Zenonem pace eo tempore ageretur. itaque nec Zeno, nec Rex ipſe Barbarus, qui Auguſti nomen renuiſſet, Occidentalis Cæſaris munus, ac iura vſurpare hac ratione voluiſſe par eſt credere. Chri. Ann. 478.

Sub huius pariter anni initium redditæ ſunt Simplicio Acacij literæ, quibus certior de Alexandrinæ Eccleſiæ ſtatu ab eo redditur, ex quibus, quanta Illius, ac Zenonis, aliorumque tum fuerit aduerſus Simplicium obſeruantia, licet cognoſcere, qui mox quadam veluti mentis vertigine eidem Pontifici maximè aduerſati ſunt, quod poſtea dicturi ſumus. *Simpl. ep. 8. & 9.*

Zenone tertiùm Coſ. Orientalis Eccleſia, quæ ab Eius reditu quietem nacta videbatur, nouis iterum turbinibus agitatur: Antiochiæ in primis, qua in Vrbe Stephanus Epiſcopus, cum alijs miniſtris compluribus, dum ſacram Synaxim ſolemni ritu peragit, ſeditione ab Eutychianis excitata, confoditur, inque Orontem Fluuium proijci- Chri. Ann. 479. *Euagr l. 3. c. 10. Martyrol. 25. April.*

ijcitur. Stephano eiuſdem nominis Succeſſor datur, &c, ad vitandas turbas, præter antiquum morem Byzantii ab Acacio conſecratur; quo Is veluti quæſito iure, Primatum in poſterum ardentius expetiit, turbaſque ea de cauſa longè maximas excitauit. *Acacij conatus.*

Hoc eodem anno moritur Magnus Ille Lupus Trecenſis apud Galliam Epiſcopus, cum annos ſediſſet amplius quinquaginta. *S. Lupus Epiſc.*

Chri. Ann. 480. *Vict. l. 2.* Octuageſimo demum huius ſæculi anno Coſ. Baſilio Iuniore, Carthagnienſis Eccleſia diuturnam poſt viduitatem, Zenone per Legatos apud Hunnericum id agente, nouum recipit Sponſum Eugenium Virum laudatiſſimum.

*Greg. Tur. l. 2. c. 20* Inito inter Galliæ Vrbes, quæ iugum nondum ſubierant, atque Euaricum fœdere, inter Pacis conditiones ea fuit, vt Aruernum Tyranno dederetur, quam Vrbem diu fruſtra obſidebat. *Aruernum Galliæ Vrbs.* *l. 7. c. 7* extat Sidonii eius Epiſcopi hac de re ad Maſſilienſem Antiſtitem querela, qui ſuorum conditionem Ciuium deplorat pace quam bello deteriorem, quorum ſeruitus precium fuiſſet ſecuritatis alienæ. *ea ſumpta occaſione Author de Aruernenſis Eccleſia laudibus nonnulla hìc recenſet.*

Chri. Ann. 481. Placidio Conſulatum gerente, Orientale Imperium in maximum diſcrimen adductum, inopinato caſu,

periculo eximitur. irruperat in Thraciam Theodoricus, quem Triarij Filium memorant, Gothorum ſecum numerum penè innumerum ducens, iamque ad quartum Regia ab Vrbe lapidem conſtiterat extrema omnia Ciuibus æquè, ac ædificijs minitans, cum, ſuorum defectionem veritus, ſupplicium de noxijs ſumpturus, receſſit, haud multum progreſſus, equo, in quem inſilierat, ferociente, haſtæ cuſpidi latus impegit, eoque ex vulnere extinctus eſt. Alium porrò Theodoricum eiuſdem Gentis Regulum cognomento Amalum ad ſe vocatum Zeno Aug. ad ſummos dignitatum grad[illegible]s euectum Filium quoque adoptauit. Hic eſt ille Theodoricus, qui Italiæ poſteà Regnum adeptus, extra eam quoque imperitauit, rerum geſtarum fama celeberrimus. *Euagr l. 3. c. 25.* *Theodoricus Amalus.*

Hoc anno qui excitatam iterum apud Africam in Catholicos perſequutionem biennio præceſſit, Hunnericus, quodam veluti prædudio, ſæuire in domeſticos cœpit. eos in primis, quos Illi Genſericus Pater, ſacramento etiam exacto, commendauerat. tum in ſuæ, hoc eſt Arrianæ Sectæ Antiſtites, ex quibus Iucundum, quem Patriarcham appellabant, igni damnauit. *Vict. l. 2.* *Hünerici ſæuitia.*

Nouo interim ſubeunte anno Seuerini Conſulatu inſcripto, Stephanus iunior *Chri. Ann. 482.*

iunior Antiochiæ moritur Sedem omnium Prouincialium Epiſcoporum ſuffragijs implet Calendion, cuius electionem Simplicius Rom. Pont. ratam habuit, at non perindè Acacius, qui ſui, quem animo voluebat, Primatus rationem nequaquam habitam ægerrimè tulit. itaque Calcedioni infenſior redditus, denique Eius depoſitionis author fuit. *Calendion.* *Simpl. ep. 14.* *Acacij ambitio.*

*Euagr l. 3. c. 20.* Hoc tempore Marcianus Anthemio Aug. genitus, qui Leontiam Leonis Filiam natu minorē habebat Coniugem, ſeditione in Zenonem excitata, acrique intra Vrbem prælio inito, Aduerſarios in fugam vertit, Regiæ tamen occupatione in diem alterum dilata, fugam Ipſe arripere coactus eſt; tum, ſpe omni abiecta, Zenonis iuſſu, in Clericum tonderi. Leontius, ac alij nonnulli, tyrannidem occupare aggreſſi, inconſultæ pœnas temeritatis dedere. *Marcianus Anthemij fil.*

Per idem tempus Timotheus Alexandrinus diem obit extremum: Ioannes eidem Eccleſiæ præficitur. Is, Legatione ad Simplicium miſſa, ex more ſuam electionem ab Eo ratam haberi optat, nulla interim Acacij ratione habita, quo factum, vt ab eo, qui Zenonem haberet obnoxium, paria cum Calendione pateretur, ex quo multæ in Eccleſia turbæ excitatæ ſunt. *Ioãnes Alexãdrinus*

Sub eodem Seuerini Conſulatu ha-

*Synod. Turonenſis.* bita eſt Turoni Synodus, cui Perpetuus eius Eccleſiæ Epiſcopus, ſextus à Martino præfuit, quique Eidem ſanctiſſimo Deceſſori Templum extruxerat, de quo Sidonius meminit, Ipſiuſque Perpetui hortatu carmen ſe elegiacum (quod adhuc extat) parieti inſcribendum, ceciniſſe, ait. *Ep. 18. l. 4.*

*S. Seuerini obitus.* Hunc eundem in annum incidit Seuerini Noricorum Apoſtoli ex hac vita diſceſſus.

Sequentis anni Conſulatum inierat Anicius Fauſtus, cum Ioannes, Zenonis iuſſu Acacio adnitente, Sede pulſus Alexandrina, ad Simplicium Rom. Pont prouocauit. ea de cauſa Romam profectus Simplicium iam defunctum cum reperiſſet, apud Smplicii Succeſſorem Fœlicem inſtitutam Appellationis cauſam proſequitur, Petro interim Mogo Alexandrinam Eccleſiam, quam ante ſexennium iam inuaſerat, Acacii ſuffragio, permiſſu Auguſti, adminiſtrante. Chri. Ann. 483. *Liber. c. 18.* *Simplicij PP. obitus. Fœlix II. Petrus Mogus*

Cæterum Fœlix vbi primum Petri Cathedram aſcendit, Zenonis legem haud ita pridem promulgatam, qua Chalcedonenſi Concilio abrogato, nouum veluti Fidei Symbolum, proponebatur, vna cum his, qui Sanctioni huiuſmodi ſubſcripſiſſent Anathemate damnat: Synodum ex Italiæ Epiſcopis, ad Alexandrinæ Eccleſiæ cauſam diſquirendam cogit. inſtituitur, à *Theod. lect. l. 2.* *Synod. Romæ.*

Con-

*Rom. Sed. authoritas.*

Concilii partibus ad Zenonem Legatio, qua in Catholicæ Fidei deſertores Acacium, ac Sectatores querelæ ingererentur, rogareturque, vti Acacium Ipſum Romam proficiſci, ac Iudicium ſubire, Ioanne accuſatore, compelleret. *recitantur hic ab Authore Fœlicis ad Zenonem, atque Acacium literæ omninò legendæ, neque hæ tantum, ſed citationis itidem libellus; quo Acacius, qui Fœlicis per epiſtolam monita ſpreturus videbatur, pro Apoſtolicæ Sedis Imperio euocatur.* vt mirum videri poſſit Rom. Pontif. hoc tempore ſub Rege Barbaro, Eoque Arriano pœnè captiuum, tanta cum authoritate vniuerſali Eccleſiæ Iudicem præſidere. poſthæc etenim & Petrum cognomento Fullonem, qui Antiochenam Eccleſiam, pulſo, vt diximus Calendione inuaſerat, & cognominem Alexandrinæ itidem inuaſorem, & denique Acacium Ipſum, quod ad ſequentem annum ſpectat, exauctorauit. Porrò quod ad Alexandrinum ſpectat, cum non Eutychianum modò, ſed etiam Apollinariſtam, ac Sabellianum ſe prodidiſſet, atque adeò Paſſionem, ac Crucem non Chriſto tantum, ſed Ipſi Sacroſanctæ Trinitati tribueret, impia quoque Eius dogmata, ad quæ Orientis etiam Epiſcopi exhorruerant, eadem in Romana Synodo damnata ſunt.

*Hűnerici perſequutio.* Per idem tempus ab Hunnerico Arriano Rege Catholici apud Africam dira paſſi, ſumma cum gloria triumpharunt. *rem fuſius Author ex Victore tradit, quos require.* *Vict. l. 2.*

*Theodoricus.* Nouus annus vtroque Coſs. inſcribitur; Theodorico, quem à Zenone adoptatum diximus, ac Venantio. meruit Rex Barbarus, ob egregiè nauatam Zenoni operam, non adoptionem modo, ac Conſulatum, ſed ad ſpem quoque euehi Occidentalis Imperij. *Chri. Ann. 484.*

*Zenonis Tyrãnis.* at Zeno imbellis Ipſe Theodorici virtute audacior factus, in apertam demum tyrannidem erupit; eò quippè ſcelerum progreſſus eſt, vt, cum Religione, ius quoque Gentium violaret, Ipſis Apoſtolicæ Sedis Legatis in cuſtodiam traditis, ac diro carceri mancipatis. vim poſteà fraus ſequuta eſt; quippè Acacius, blanditijs Eos aggreſſus, ac vinculis exutos, grauiori præuaricationis catena vinxit, adeòque dementauit, vt non ſecum modo communicare, ſed Petrum quoque Alexandrinum multiplici ſcelere inquinatum, atque ob Hæreſim damnatum, vt legitimum Antiſtitem agnoſcere adegerit. *Liber. c. 16. Euagr l. 3. c. 20.*

*Synod. Roma.* Legatorum caſu nequaquam conſternatus Fœlix Pontifex, Italiæ iterum Epiſcopos Romam euocat, qui LXXV. fuiſſe dicuntur. ab His Legati, Byzantio iam reduces, Epiſcopatu

moti,

moti, catholica inſuper Communione excluſi ſunt. tum Acacius Ipſe, fruſtra haud ſemel monitus, eodem Anathemate, quod ſupra indicauimus, percullus eſt. extat ipſius damnationis ſententia cum alijs ad Clericos, ac Monachos literis Byzantium tranſmiſſa. cum verò Acacius ſentétiæ exemplum ad ſe allatum, recipere abnuiſſet, inuentus eſt Monachus, qui, dum Ille, Sacris operaturus, Templũ iniret, illud ex Eius Pallio ſuſpenderet. eo facinore acrius irritatus, & Monachum Ipſum, & ex Illius contubernio reliquos ad mortem vſque mulctauit; & Fœlicis nomen è ſacris Tabulis eraſit. Africana interim procella in dies magis ſæuiente, indictæ ſuperiori anno concertationis, inter Catholicos, atque Arrianos, die accedente conuenere ex Catholicis Epiſcopis complures. ergò vt quiſque Illorum ingenio pollere, præſtare authoritate Aduerſarijs viſus eſt, confictis in Eum criminibus, exilio, vinculis, atque adeo morte, dolo malo, diſputationi ſubductus eſt. at dum reliqui differendi vtcumque copiam ſibi fieri arbitrantur, edicto pluſquam tyrannico, rebus omnibus, quas ſecum attuliſſent, ſpoliati, hoſpitijs pelluntur: recipi in poſterum à quoquam vetantur: pecudum more, extra Vrbem vagi, pabulum quærere coguntur: tum cæden-

*Fœl. ep. 4. Liber. c. 18. Niceph. l. 16. c. 17.*

*Monachi facinus.*

*Vict. l. 2.*

*Africana perſecutio.*

dis ad naues lignis aliiſue huiuſmodi miniſteriis addicuntur . nec, dum in ſanctiſſimos Viros, qui Carthaginem Tyranni iuſſu conuenerant, quæ diximus ſæuitiæ exempla eduntur, apud Africam reliquam à pari immanitate ceſſatum eſt. illud, ex multis, quæ à Victore, ac aliis recenſentur, præterire nefas duximus, quod, cum omnem ſuperet fidem, locupletiſſimos tamen teſtes habet. Tapienſes apud Mauritaniam Ciues, quod, Arrianum Epiſcopum deteſtantes, Vrbe, ex condicto, receſſiſſent; Tyranni iuſſu magno numero dextera, ac lingua mutilati, articulatè haud ſecius in poſterum loquuti ſunt, extraque Africam latè diſperſi, rem tantam Orbi vniuerſo teſtatam reliquere, de qua, vt alios oculatos teſtes omittamus, Iuſtinianus Imperator, qui non multos poſt annos rerum potitus eſt, in Conſtitutione à ſe edita hæc habet. *vidimus* inquit, *venerabiles Viros, qui abſciſſis radicitus linguis, pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur*. His permotus Fœlix Rom. Pont. Zenoni author fuit, vt legatione ad Regem Barbarum inſtituta, à tanta illum ſæuiendi libidine deterreret. at Is, vt nihil ſe à Zenone formidare oſtenderet, Vranio Ipſo Legato inſpectante, adduci vinctos, quæſtionibus admoueri, ſupplicio affici frequentius curauit. Verum enimuerò

*Martyres abſque lĩgua loquuntur.*

*Hunnerici ſæuitia.*

*Lib. 2. Marcell. Chr. Procop. l. 1. s. Greg. Dial. l. 2. c. 32.*

*De off. Præf. Prat. Afr.*

uerò dum ſe maximè Tyrannus extollit, Deum Vindicem experitur, vltricibus intus flammis, vermibuſque, non ſecus, ac Antiochus, Herodes, ac Maximinus abſumptus. *Dira eius mors.*

Hunnerici morte Regno potitur Gundabundus, quem alij Godagiſum nominant, ex Fratre Nepos. *Gūdabūdus.*

*Greg. Tur. l. 2. c. 25* Quo tempore Euaricus quoque Gothorum apud Galliam Rex, itidem Arrianus extinguitur, cui ſublegitur Alaricus. Neque His ſuperſtes diu fuit Childericus Francus, qui Pariſijs imperitabat; quo extincto, Regnum Clodoueus Filius capeſſit, quem & Ludouicum appellant. *Euaricus. Alaricus. Childericus. Clodoueus.*

Chri. Ann. 485. *Nicéph. l. 16 c. 37. Sur. 11. Iū.* Symmacho Conſulatum gerente abſque Collega, ab Anthemio Salaminæ apud Cyprum Epiſcopo, Dei monitu, Barnabæ Apoſtoli ſacræ Reliquiæ inuentæ, cumque his ſacrum Euangelium, ab Eodem Apoſtolo, vt ex reuelatione eſt cognitum, Matthæo dictante, exceptum. *S. Barnabæ reliquiæ. Matthæi Euāg.*

*Nicéph. l. 16. c. 27.* Per idem tempus Xenaias quidam, quem alij Philoxenum vocant, ſeruilis conditionis homo genere Perſa, Iconoclaſtam primus ſe prodit. Hic, nec dum Chriſtianus, Clericum mentitus, à Petro Fullone Antiochenæ Eccleſiæ, vt diximus, inuaſore exceptus, atque ex morum ſimilitudine veluti in ſinu enutritus, ad Epiſcopatum vſque, ipſius expers Baptiſmi, pro- *Xenaias. Iconoclaſtarū Author.*

promotus fuerat. en qualem Sectæ Authorem impij Iconomachi coguntur agnoſcere.

*Longinus Zenonis frater.* Sequentem annum Longini Zenonis Fratris, Conſulatus, Decio Collega, auſpicatur; de cuius inexpleta rapacitate, impuriſque moribus Suidas ſcribit. Chri. Ann. 486.

Moritur hoc eodem anno impius Fullo. nec propterea Antiochena Eccleſia legitimo frui ſponſo potuit, Palladio eiuſdem farinæ homine, Hæreticorum factione ſubrogato.

*Synod. Romæ.* Poſt Longinum Boetius Conſulatum init, ſub cuius Magiſtratu Synodus Romæ cogitur hac præcipuè de cauſa, vt, lapſis ex Vandalica perſequutione Epiſcopis, ac reliquis ſacrorum Miniſtris, pro materna Romanæ Eccleſiæ pietate, conſuleretur. medela porrò ea ratione attemperata eſt; vt ſimul clementia vulnus leniret, ſimul ſeueritatis acrimonia putredinem abſtergeret; quod ex Synodi Actis, ac Fœlicis ad Africanos Epiſtola licet cognoſcere. Chri. Ann. 487. *Fœl. ep. 6.*

*Theod. à Zenone defectio.* Eodem anno, Theodorici defectione, Zeno, qui Barbarum beneficijs cumulauerat in diſcrimen adductus eſt. *Marcell. & Caſs. chron.*

*Odoacer Rugorum Regem vincit.* Quo tempore Odoacer, qui Romam fermè, aut Rauennam poſt captam Italiam incolebat, copijs in Rugorum Regem miſſis, Illum vicit, atque

que in triumphum duxit; quæ homini calamitas, ante quinquennium prædicta à Seuerino fuerat.

Chri. Ann. 488. Qui ſequitur annus vtroque Conſule inſignitur, Dinamio, atque Siphidio: quo viuendi finem feciſſe dicitur Acacius Orientalis Imperij fax, de cuius inſana gloriæ cupiditate, præter ea, quæ indicata à nobis ſunt, alia multa ab Authoribus traduntur. illud in primis, omnibus fere in Templis ſui Ipſius Imagines conſecrari ità permiſiſſe, vt iuſſiſſe videri poſſet. *Acacij obitus, & ambitio.*

*Niceph. l. 16. c. 18.* Acacij Sedem mira arte occupat Flauita, quem & Flauianum appellant, Homo nefarius. dum etenim de eligendo Epiſcopo agitur, Zeno Aug. pietatis inſtinctu, an leuitatis, paginam, in qua nihil eſſet deſcriptum, in ſacro altari deponit addito ſupplici libello, quo Deum precabatur, vt Angeli manu futuri Epiſcopi nomen inſcribi annueret, indicto interim XL. dierum ieiunio. hoc cognito Flauita, ingenti pecunia, quam ex Argentarijs etiam ſub vſuris accepit, Eunuchum, quem ex cubicularijs fidiſſimum, vt putabat, Zeno obſignatæ paginæ, atque Altaris cuſtodię prępoſuerat, adegit, vt reſignatæ eidem paginæ Flauitæ nomen inſcriberet, eamque iterum obſignaret. igitur ieiunij tempore iam defluxo, rèſignataque, ſumma cum religione, pagina, Flauitæ nomen apparuit. *Flauita ſuccedit. Eius dolus. Zenonis leuitias.*

ruit. Is itaque perindè, ac à Deo deſignatus, Populi concurſu raptus, ſumma cum gloria in Epiſcopali Throno collocatur. verum Homo callidus, qui ſciret crimini Acacio datam exercitam cum Rom. Pont. ſimultatem, pro Epiſcopo gerere ſe anteà noluit, quam ſuam electionem, quamquam ficto miraculo ſpecioſam, Romanus Ipſe Pontifex ratam haberet, ad quem ea de cauſa Legationem inſtituit. cæterum latere diutius dolum haud quaquam paſſus eſt Deus. quippè intra quartum, ab electione, menſem repentina morte nefarius Impoſtor ſublatus, tantum pecuniæ corradere vix potuit, qua dimidiam æris alieni partem diſſolueret. Eius proindè hæredes vrgeri ab Argentarijs cepti, cum ſoluendo eſſe non poſſent, Auguſto fraudem aperuere. Is rubore, vt par erat, ſuffuſus, quod ſupererat, Eunuchum egregiè vltus eſt, morti Ipſo addicto, Eius verò ſubſtantia Argentarijs tributa. palam inſuper teſtatus eſt Flauitæ nomen paginæ non à Chriſto, vt putarat, ſed à *chryſo* hoc eſt *auro*, inditum.

*Flauitæ dolus detegitur*

*Zenonis iocus.*

Hoc eodem anno, qui alter à Rugorum clade numeratur, captiui Regis Filius Fridericus, Theodorici, ad quem confugerat, ope, paternum recipit Regnum; eo tamen haud ita multo poſt ab Onoulfo Odoacris Fratre

*Fridericus Rugorũ Rex*

*Onulf. Odoa-*

tre iterum pellitur, ac Rugorum Gens, magna ex parte, in Italiam traducitur; quo tempore S. Seuerini quoque Reliquiæ Neapolim tranſlatæ dicuntur. *Cris fra ter.*

*Marcell. & Caſſ. Chr.* His permotus Theodoricus, qui apud Mœſiam cum exercitu erat, ſimul inuidia quadam æſtuans, dum animo ſecum Ipſe voluit, Erulos, vix antea cognitos Populos, Italiam Prouinciarum nobiliſſimam annos iam plurimos obtinere ſuorum maiorum virtute pridem ſuperatam, Italici conſilia belli agitare cœpit. Sequenti porrò anno Coſs. Probino, atque Euſebio, viribus etiam à Zenone auctus, opere perfecit. *Theodorici cōſilia*

Chri. Ann. 489. *Euagr. l. 3. c. 23. Nicephe. l. 16 c. 19.* Euphemius interim Presbiter, poſt Flauitam Byzantij Epiſcopus conſecratur; expunctoque è ſacris tabulis Petri Alexandrini nomine, Fœlicis autem Romani Pontificis reddito; ſimultates cum illo exercere ita cœpit, vt, coactis vterque Synodis, mutuò ſeſe Anathemate percellerent. ſummam porrò laudem adeptus Euphemius fuiſſet, ſi Romanæ Sedis, quam Acacij memoriæ rationem habere maluiſſet, quod enim illius nomen expungere obſtinatius renuerit, Catholicæ communione Eccleſiæ indignus eſt habitus. *Euphemius Byzātij Epiſc.*

*Sur. 11. Decemb.* Sub ipſam Euphemij conſecrationem Magnus Daniel Stilita octogenarius moritur. *Daniel Stilita moritur.*

Ita-

*Theod* Italiam Theodoricus iam attigerat, *Coſ.*
*Odoa* cum factus Illi obuiam ad Iſontium *chron.*
*crē bis* Odoacer, vincitur, ac in fugam verti-
*vincit* tur. inſtaurato mox ad Veronam præ-
lio, ad internecionem cæditur. fuga
nihilominus elapſus Ipſe cum pau-
cis, vires reſumit, ſequenti anno For-
tunam non magis propitiam exper-
tus.

*Clodo-* Quo tempore Clodouæus quoque
*uæus.* Syagrium Romanum, qui Sueſſionen-
ſibus cum imperio præerat, vincit,
partumquè à Patre Regnũ maioribus
in dies incrementis auget, ac firmat.

*Perſe-* Sub ſequentis anni Coſs Longino Chri.
*quutio* ſecundùm, ac Fauſto, Vandalica apud Ann.
*Vãde-* Africà perſequutio recrudeſcit, *quam* 490.
*lica.* *Author ex Fulgentij Actis, una cum* *Sur. 1.*
*ipſius rebus geſtis fuſè refert.* *Ian.*

Moritur hoc eodem anno nobilis *Gēnad*
*Theo-* apud Cœleſyriam Scriptor Theodu *c. 86.*
*dolus* lus Presbyter Antiochenus: apud Gal-
*Antio-* liam Cæſarius Arelatenſis, cuius præ
*ch.* cæteris laudatur conſcriptus *de Gra-*
*Caſa-* *tia* Commentarius; quo in argumen-
*rius* to haudquaquam ſincerè Fauſtus quo-
*Arela-* què Regienſis apud eandem Galliam
*tenſis.* Epiſcopus verſatus eſt. *quo de illius*
*Opere, quod in diſquiſitionem tum vo-*
*catum fuerit, multa Author hìc habet.*
*ubi & illud docet, conſueuiſſe huius*
*Libri* *temporis Scriptores, non Occidentales*
*ſubijci* *modò, verum etiam Orientales à ſe*
*untur* *conſcriptos Commentarios ad Roma-*
*cēſura*

*num*

*num Pontificem tranſmittere, Illiuſ-que cenſura ſubijcere.* *Rom. Pont.*

Per idem tempus Petrus Alexandrinus diem clauſit extremum, occupatæ per vim Sedis anno XIII. Huic Athanaſius Hæreticus pariter ab Hæreticis ſubrogatur.

*Marcell. chron.* Sub huius item anni Coſs. Pelagius Patricius V. C. quod pro eximia virtute, ac ſingulari apud omnes gratia, dicendi ſibi libertatem ſumens, Zenonem ſubindè argueret, in Inſulam primò deportatur, mox laqueo faucibus iniecto Tyranni iuſſu, extinguitur.

Interim Odoacer ſatis ſibi virium comparaſſe ratus, tertiò iam belli aleã ad Duram fluuium experitur, tertiò vincitur, atque ex fuga Rauennam ſe recipit, ibidemque à Theodorico Victore obſidetur. *Odoacer tertiò victus.*

Chri. Ann. 491. *Euagr l. 3. c. 29. Cedrē. & Zonar.* Exindè Olibrio tantum Coſ. renunciato, Zeno Aug. memorandas irato Numini pœnas dedit. nimio quippè vino, ſeu, quod alij tradunt, comitiali morbo exanimatus, Ariadnæ Vxoris iuſſu ſepulchro viuẽs illatus eſt, biduo lamentabilis Eius vox à ſatellitibus, qui ſepulchri cuſtodiæ præpoſiti fuerant, exaudita eſt. porrò cum hi roganti, vt aperirent, reſpondiſſent alium iam imperare, *nulla*, inquit, *cura Imperij: Monaſterio claudi ſat erit*. incaſſum itaque mortalibus, ac Superis imploratis, caligas, ac lacertorum car- *Zeno viuens ſepelitur.*

nes

nes voraſſe dicitur. Moritur Zeno cum imperaſſet annos XVII. Eo ſublato, Ariadnæ aſtu, nequicquam Longino Zenonis Fratre obnitente, Imperium Anaſtaſius capeſſit, Homo apud Dyrrhachium natus, nec dum Senator, inter Silentiarios, hoc eſt Palatij ſilentio, aut quieti impoſitos milites adſcriptus, ex quo non leuis orta ſuſpicio eſt, inhoneſtam inter Ipſum, atque Ariadnam conſuetudinem præceſſiſſe. Ex Eo ſtatim, quod famæ eſſet ambiguæ, Catholicæ Fidei profeſſionem Euphemius expetijt, ſacerdotali libertate exautorationem, ſi renuat, comminatus. paruit Ille ſiuè ex animo, ſiuè ex arte. neque id tantum, ſed & conciliandos Ciuium animos, tributorum leuatione, duxit. venales antea Magiſtratus, gratis mandauit: denique optimos Principes ipſo Imperij exordio æquauit. firmato poſtmodum dominatu, pecuniæ cupiditas, veluti ex radice haudquaquam auulſa, in diriores exactiones, atque adeò publica latrocinia, repullulauit. hæreſis quoque haud diu tecta, ſcelera detexit reliqua, timore ſublato.

*Anaſtaſius Imp.*

*Euphemij Epiſc. libertas.*

*Anaſtaſij ſimulatio.*

*Theod lect. l. 2 Cedrē. Suid.*

Nondum annum exegerat Principatus, cum (qua cauſa non proditur) Populi ſeditione Byzantij excitata, iniecto per tumultum igni, publica priuataque ædificia permulta conflagrarunt.

*Byzantij incēdium.*

Quo

Quo tempore Odoacer Rauennæ, vt diximus, obſeſſus, Vrbe egreſſus, nocturnoque prælio inito, iterum ſuperatur, atque intra mœnia repellitur. *Odoacer quartò victus.*

Herulorum rebus ita collabentibus, dum Rauenna diuturniori obſidione premitur, Italia reliqua in Gothorum poteſtatem venit. *Italia Gothis cedit.*

Ad hunc ipſum annum referunt Patritij Hiberniæ Apoſtoli obitum ætatis trigeſimo amplius atque centeſimo. Inſula ab Eo viuente doctrina, rebuſque geſtis illuſtrata, miraculis quoque poſt mortem editis illuſtrior deinceps eſt reddita. *S. Patritij obitus.*

Chri. Ann. 492. Anaſtaſio Aug. vna cum Ruffino Conſulatum gerente, V. Kal. Martias Fœlix Rom. Pont. moritur, cum annos ſediſſet fere nouem. fuit Is Gregorij Magni Atauus, quod ex Ipſo Gregorio edocemur. *Fœlicis PP. obitus.* *Marty rol. 25. Febr. Dial. l. 4. c. 16 & Hom. 38. in Euãg.*

Fœlici Succeſſor datur Gelaſius, cuius complures extant hoc anno datæ Epiſtolæ. *Gelaſius ſuccedit.*

Cæptum hoc eodem anno eſt bellum Iſauricum, quod quinquennio amplius geſtum eſt. ipſo belli exordio rebus proſperè cedentibus, Anaſtaſius inſolentior factus, Catholicæ, quam emiſerat, Fidei profeſſionem, ac Euphemio tradiderat, per vim recipit; ea præcipuè de cauſa, quod pertæſus ſacrorum Antiſtitum de Fide, ac de Chalcedonenſi Concilio conten- *Mar. cell. Chr.*

tentiones, eas, ſi fas, tollere percu-
piens, vt alterutri ſe parti nequaquam
ſtudere videri voluit, ita in Epiſco-
pos, cuiuſcumque Hi eſſent dogma-
tis, qui ſe mutuo anathemate, aut
contumelijs percellerent, grauiter ani-
maduertit. Sic, dum pacem Reipub.
quærere ſe poſſe putat, Catholicis
æquè, ac Hæreticis, ſilentio indicto,
à recta ipſe Fide deſciuit; *Acephalo-* *Leont.*
*rum*, ſiue *Hæſitantium* ſectæ haud *de ſect.*
ſecius adſcriptus. *Act. 5.*

Sub Albini, qui ſubijt, Conſulatu, Chri.
&, vt quidam addunt Euſebii; obſeſ- Ann.
ſis Rauennæ æquè, ac obſidentibus, 493.
triennalis tædio obſidionis affectis, *Mar-*
res inter Odoacrem, ac Theodori- *cell. &*
cum, per Rauennatem Epiſcopum, ita *Caſs.*
tranſigitur, vt æquo vterque iure Ra- *chron.*
uennæ regnarent. cæterum cum Re- *Proc.*
gni ſocietas fida eſſe vix poſſit, haud *de bell.*
*Odoacer opprimitur.* ita multo poſt Theodoricus Odoa- *Goth.*
crem, epulo exceptum, opprimit; *l. 1.*
cauſatus ab Eo ſe anteà inſidijs peti-
tum. Italia hoc pacto potitus Bar-
barus, diuturno fatigatus bello, tum
*Pax inter Theodoricū & Anaſtaſium.* ad nouum Regnum ſtabiliendum, Pa-
cem, vt par erat, cupiens; eam in- *Caſs.*
primis ab Anaſtaſio per Legatos pe- *ep. 1.*
tit, nec ægrè ab Eo impetrat, qui alio-
quin ab hoſtibus redimere eam auro
conſueuerit: tum verò difficili cum
Iſauris bello implicitus, detrectare
illam nulla ratione poſſet.

Fauſto

Fauſto Legatorum alteri Gelaſius quoque Pontifex Euphemij reconciliationem demandauerat, quo tamen in munere fruſtra Eum labores impendiſſe omnes ex Gelaſij ad Illum, rurſum que Illius ad Gelaſium vltrò citròque datis literis ſatis liquet.

Pace cum Anaſtaſio firmata, Theodoricus non pacem modo ſed affinitatem quoque cum Francorum Rege Clodouæo expetijt, votique factus eſt compos, Filia illius Audeflenda Vxore impetrata. ambas porrò Filias, quas ex Pellice anteà ſuſtulerat, Burgundionum, ac Viſigothorum Regibus matrimonio iungit. *Theo- affinitatibus ſe munit.*

Iam verò quæ hoc ipſo tempore à peruigili Paſtore Gelaſio aduerſus Pelagianos, in Piceno, atque Dalmatia detectos, ſtatuta fuerint, ex compluribus Eius Epiſtolis, *quæ ab Authore huc afferuntur*, licet cognoſcere, *quibus immorandum haudquaquam duximus.* *Ep. 4. et ſeqq.*

*Sigeb. Chr.* Per idem tempus Michael Archangelus Templum in Gargani vertice, qui Apuliæ Mons eſt, illuſtri miraculo ſibi adſciuit, pioque poſtmodum Fidelium cultu redidit celeberrimum. *Michaelis Tēplū in Gargano.*

Sub anni exitum Legati Byzantio cum reuertiſſent, certioremque Gelaſium de his, quæ ab Anaſtaſio acceperant, reddidiſſent, Conſulibus iam Aſterio atque Præſidio, Apolegeticam

San-

Sanctus Pontifex Epiſtolam ad Eundem Auguſtum dedit, *quam integrè hic relatam habes ob rerum geſtarum cognitionem, atque argumenti dignitatem omnino legendam.* Chri. Ann. 494. Ep. 10.

*Synod. Roma-* Placuit inſuper Gelaſio indicta Synodo LXX. ad Vrbem Epiſcopos euocare, in qua delectus in primis habitus eſt Eccleſiaſticorum librorum, tum Patriarchales Sedes ordine recenſitæ, ad hæc Oecumenica Concilia adnumerata ſunt.

Porrò eadem, qua Orientali Eccleſiæ proſpexit vigilantia, Occidentali quoque adiumento fuit, datis ad complures Italiæ Epiſcopos literis, quibus Eccleſiaſticam diſciplinam egregie ſanxit.

*Crotildes Clodouei Vxor.* Clodoueus interim Crotildem Gundebaldi Burgundiorum Regis ex Fratre Neptem Chriſtianam Fœminam Vxorem duxit, ex qua cum recta Fide bona Illi cuncta fluxerunt.

*S. Benedicti primordia.* Sub idem tempus magnus Monachorum Parens Benedictus Romæ literis operam cum nauaret, Eremum petens, ſanctioris vitæ fundamenta fœliciter iecit. ex quo erroris Eos redargues, qui, propenſiori quodam in ſuum Ordinem ſtudio, multos qui hæc tempora præceſſerunt, inter Benedicti Alumnos recenſent. Sterilibus ſanè aliena ſupponi ſoboles conſueuit. ea ſemper fuit Benedicti, ſacri- *S. Gre. Dial. l. 2.*

cri-

crique Ipſius Inſtituti fœcunditas, vt
ex alienis Filijs gloriam Illi quærere
ſuperuacaneum omninò fuerit.

Chri. Qui ſequitur annus Conſulatu Fl.
Ann. Viatoris inſcribitur, cui Collegam
495. nonnulli addunt Æmilianum.

*Mar-* His Conſulibus, quod Euphemius
*cell. &* non ſolum Gelaſij monitis non acquie-
*Caſs.* ſceret, ſed ab Illius communione
*Chr.* Orientis Epiſcopos arcere omni ope *Euphe-*
enIteretur, diuino factum conſilio vi *mius*
*Thood* detur, vt Sede Ipſe ab Anaſtaſio im- *ſede*
*lect. l. 2* pio Principe iurè, an iniuria, pellere *pulſus.*
tur; cui, Eiuſdem Anaſtaſij iuſſu, Ma-
cedonius, ex Gennadij diſciplina
eiuſdem Eccleſiæ Presbyter Succeſ- *Conci-*
ſor datur. Romæ interim à Gelaſio *lium*
Concilium cogitur Epiſcoporum LV. *Roma.*

*Proc.* Moritur hoc eodem anno Gunda- *Gũda-*
*de bell.* bundus Vandalorum apud Africam *bundi*
*Vand.* Rex, commodùm Dei prouidentia *obitus.*
*l. 1.* ſublatus, dum Eugenio Carthaginienſi
*Greg.* Epiſcopo in Gallias relegato, bellum
*Tur.* in Catholicos redintegraret. qui poſt
*l. 2. c. 3* Eum Regnum eſt adeptus Traſamun- *Traſa-*
dus germanus Frater, inſignis tum *mũdus*
*Infra* Princeps clementiæ, benè de Catho- *ſucce-*
*ad an.* licis mereri diutius laborauit, in Tyran- *dit.*
*504 et* num & Ipſe poſtmodum erupturus.
*522.* Huic Theodoricus Italiæ Rex Amala-
fridam Sororem deſpondit.

Chri. Ad proximè ſubeuntem annum al- *Gela-*
Ann. tero tantum Cõſule Paulo inſcriptum *ſij obi-*
496. ſpectat Gelaſij obitus Pontificatus an- *tus.*

no V. *de cuius ſcriptis multa hic Author diſſerit, quo noſtrates Sectarios refellat, ex his ſua Ipſorum dogmata malè fulcientes.*

*Anaſtaſius II.* Octauo à Gelaſij obitu, non amplius, die, Succeſſor Ei datur Anaſtaſius hoc nomine II.

Anaſtaſio Aug. iterum Coſ. Legati ad Illum ab Anaſtaſio Rom. Pont. mittuntur Germanus Epiſcopus Capuanus, Creſconius Tudertinus. His Byzantium delatis, ac diutius inibi ab Auguſto moram trahere coactis, acceſſere ad Eos Alexandrinæ Eccleſiæ Apocriſarij pacis leges recepturi: horum ſanè libellus extat *ab Authore hic relatus.* Chri. Ann. 497.

Antequam Legatione functi Epiſcopi Romam redirent; nouus voluitur annus Coſs. Paulino, ac Ioanne Scytha; quo, biennio nondum exacto, Rom. Pontifex Anaſtaſius moritur. dirum indè ſchiſma in Eccleſia conflatur, Laurentio aduerſus Symmachum ſuffragiorum partem referente. res non ſine cruenta Romæ cæde tranſacta eſt. cum autem eò res deduceretur, vt Ciuile Bellum ſpectare videretur, non Clero tantum, ac Populo, diuerſa ſentientibus, ſed Senatu ipſo pertinacius diſſidente, vterque Pontifex Rauennam ad Theodoricum pergere compellitur. Is ſuffragiorum ratione habita, Pontificatum Symma- Chri. Ann. 498. *Theod lect l. 2 Niceph l. 16 c. 36.* *Anaſtaſij Papæ obitus. Symmach. ſuccedit.*

cho

cho adiudicat, qui Epiſcoporum Conuentu indicto, ab His ſuam Ipſius electionem ratam haberi curat. ſed hæc non vno geſta ſunt anno.

*Marcell. Chr.* Apud Orienté porrò Zenonis Frater Longinus, qui maximum, ac diuturnum Anaſtaſio negocium exhibuerat, à Priſco demum Comite victus, captuſque, Byzãtium perducitur: mox Nicæam ſupplicio inibi, ad Populi tumultus vitandos, afficiendus, Homo, vt diximus, probroſus abducitur.

Quo tempore Ioannes egregiæ Vir ſanctimoniæ, qui, Epiſcopatu abdicato, clam aufugerat, ſequè in S. Sabæ diſciplinam tradiderat, dum ab eo ad Presbyteratum ſuſcipiendum compellitur, Epiſcopum ſe eſſe fateri cogitur, ex quo Silentiarij nomen adeptus eſt; Epiſcopalia exindè munia, ex nouo tyrocinio iam inſtructior, obiturus. *Ioannes Silentiarius.*

Chri. Ann. 499. Altero tantum Coſ Ioanne Gibbo nouus annus inchoatur, quo indictum à Symmacho Romæ Concilium celebratur, *acta apud Authorem, ſi libet, hic require*. *Synod. Roma.*

*Marcell. & Caſs Chr.* Per idem tempus Bulgari, & Ipſi, ad Boream Populi magno impetu Thraciam inuadunt: Anaſtaſij copias obſiſtere conatas cædunt, nec niſi auro, ex more, victi, recedunt. *Bulgari.*

*Greg. Tur. l. 2. c. 30.* Clodouæus interim Francorum, Rex diuinam aduerſus Alemannos expertus opem, Chriſtiana ſuſcipit Sacra *Auro pelluntur.*

*Clodoneus Chriſtianus ſit.* — *Sur. 13 Ian.*

Remigio Rhemenſi Antiſtite adminiſtrante, luſtralique Eum aqua abluente exin Francorum Gens Religioſum Principem ſequuta, eandem certatim Fidem amplectitur.

Chri. Ann. 500. *Caſs. Chron. Anaſt. i Sym.*

*Theodoricus Roma.* — *Synod. Roma.*

Quingenteſimo Chriſti Redéptoris anno Patritio, atque Hippatio Coſs. Theodoricus Romam venit. Symmachus Aduerſariorum odio, atque inuidia, multorum criminum inſimulatus. Epiſcopis amplius centum Romæ ea de cauſa coactis, apud Hos, atque vniuerſum Rom. Clerum, obiecta ita diluit crimina, vt longè glorioſius de inuidia triumphauerit.

Chri. Ann. 501. *Marcell. & Caſs. Chron.*

*Anaſtaſij ſæuitia.*

Quinto iam ſæculo reuoluto, ſextum redordimur, quo ineunte, depoſitos ab Deceſſoribus faſces, Auienus, ac Pompeius ſuſcepere. His itaque Coſs. Anaſtaſius Aug. Byzantij Populum, qui Illum vti Hæreticum auerſabatur, eamque ob cauſam non dicterijs modo, ſed apertis etiam conuicijs laceſſere auſus fuerat, ſæuitia plus quam tyrannica vltus eſt. immiſſo etenim in confertos milite, dum Circenſes ſpectarent ludos, tria amplius Ciuium millia trucidauit.

Chri. Ann. 502.

*Synod. Roma.*

Altero huius ſæculi anno Coſs. Anieno Iuniore, ac Probo; quarta à Symmacho Romæ Synodus celebratur, non ſinè Schiſmaticorum ſeditione, à quibus & lapidibus appetitus eſt.

Per idem tempus Bulgari Thraciam

re-

*Marcell. Chr.* iterum populantes, auro iterum auertuntur. *Bulgari in Thraciam.*

*Proc. de bell. Perſ. l. 1.* Perſæ quoque Amidam Oppidum, validum Romanorum apud Meſopotamiam Propugnaculum, poſtſex menſium obſidionem capiunt.

Chri. Ann. 503. Nouo appetente anno Dexecrati, ac Voluſiani Cõſulatu inſcripto; quod ſchiſmatici aduerſus ſuperioris anni Synodum oblatrarent, Epiſcopos iterum conuenire oportuit, ac Symmachum, Ipſiuſque Concilij acta à calumnijs vindicare. *Synod. Roma.*

*Bibl. Sanct. to. 1.* Anaſtaſius porrò Aug. Anathemate à Symmacho perculſus, cum per literas grauiter expoſtulaſſet, apologeticum ex Eo libellũ retulit, *cuius exemplum hic habes.* cæterum qui perenne Eccleſiæ bellum indixerat, pace ipſe haudquaquam fruebatur. eam ſanè hoc ipſo tempore vix dum à Perſis redemerat, cum precio item Barrhi, qui, ex condicto, Pontum inuaſerant, ex vetere inſtituto propulſandi ſuere. *Imp. excommunicatur.* *Barbarorum incurſus.*

Chri. Ann. 504. At Bulgari, quos Thracia ceſſiſſe, diximus, Illyricum peruaſerant Italiæ excidium minitantes, cum à Theodorici Ducibus inſigni prælio victi, ferociam poſuere. incidit ea Theodorici Victoria in Cathei Conſulatum, ſub quo Symmachus Pont. cum iam nullum Ei negocium ſchiſmatici faceſſerent, ſextam, quæ extat, Synodum celebraſſe putatur; in qua de Eccleſiæ *Bulgari à Theodorico victi. Synod. Roma.*

bonis reſtituendis actum eſt, quæ multi, ex Regia quamuis munificentia, poſſidebant, & Synodi ſententiam, quod mirum videri poteſt, ita Rex Barbarus non ægrè tulit, vt ſuis quoque ea de re literis ratam habuerit, qui & ſub idem tempus in Magos inquiri iuſſit, cuius tum criminis comperti dicuntur Senatorij quoque in Vrbe Viri.

*Theodorici laus.* *Caſſ. l. 4. ep. 17.*

Eodem ferè tempore noua à Rege Vandalo Traſamundo apud Africam perſecutio excitata, eſt, qua ducenti amplius Epiſcopi in Sardiniam relegati ſunt: ex eo factum memorant, vt D. Auguſtini Corpus clam, vt licuit, exhumatum, eam in Inſulam deferretur. porrò inter exilio mulctatos Epiſcopos, ſanctimonia, ac doctrina clarior Fulgentius eſt habitus: *de quo hìc Author præ cæteris, cum virtutis commendatione, meminit.*

*Traſamundi perſequutio S. Auguſt. reliquiæ tranſlatæ.* *Paul. Diac. l. 15. Sigeb. Chr.*

Quintus ſæculi annus Manlij Theodori, ac Sabiniani Conſulatum præfert. Horum prior depoſito Magiſtratu clarior quam geſto, vna cum Coniuge æquè pia, ac religioſa Fœmina, ſanctioris vitæ ſtudio, nuncium ſæculo cum remiſiſſet, admirationi, atque exemplo Orbi fuit, ad quem Fulgentij extat Epiſtola, *quam apud Authorem hìc habes.*

Chri. Ann. 505.

*Ep. 6.*

At verò Anaſtaſius, cum tutandæ hæreſi, ac propagandæ, Catholicos Byzantij Ciues, Ipſumque adeò Re-

*Theod. lect. l. 2.*

giæ

giæ Vrbis Antiſtitem Macedonium inſectandi finem nullum faceret, nouis ſubindè cladibus afficitur. itaque hoc anno Gothos Mundone Duce Rom. Imperij Ditiones populantes, propulſare armis, præter morem, adortus, Sabinianum Conſulem in Eos immittit. Is belli aleam ſubire haud veritus, internecione à Barbaris cæditur.

Chri. Ann. 506. Conſulibus Meſſala apud Occidentem, Areobinda apud Orientem renunciatis, Concilium Agatæ Galliæ Narbonenſis Vrbe celebratur, Alarico Viſigothorum Rege permittente. qui hoc ipſo tempore Theodoſianum Codicem viſum antea ab Epiſcopis probatumque, per Auianum edendum curauit. *Synod. Agatenſis.* *Theodoſij Codex.*

*Cedrē.* Porrò Anaſtaſius Ciuium odio, ob hæreſim, laborans, non alia de cauſa eorum hoc tempore ſeditionem expertus eſt; quam quod Regijs in ædibus quædam monſtra ab eccleſiaſticis Imaginibus aliena, pingi curauerit; ex quo religioſi Populi zelum admireris.

Chri. Ann. 507. Qui ſequitur annus Anaſtaſium Auguſtum, tertium Coſ. habet, cum Venantio Decio Collega. quibus Coſs. Alaricus qui XXIII. iam annum à Rodano ad Ligerim, ac Pyreneos regnabat, à Clodoueo Francorum Rege vincitur, ac cæditur, cum antea incaſſum conciliare inter eos pacem Theodoricus ſtuduiſſet. qui idcirco Franci *Alaricus à Clodoueo victus.*

Regis affinitatem Gentis ſuæ gloriæ poſthabendam ratus, ſuppetias, licet ſeras, Alarico tulit.

Eo interfecto non tam Regnum, quam Regis nomen Geſelicus, ex Pellice Ipſius Filius, adeptus eſt; quem poſt quadriennium prælio à Theodorici Duce victum, Amalaricus ſequitur Alarici, ex Filia Nepos collabenti Regno ſuſtinendo, & Ipſe, impar.

*Geſelicus.* *Procop l. 1.*
*Amalaricus*

Byzantij exindè rurſum tumultuatum à Populo eſt; tum Circus, ruina, atque incendio, deformatus.

Nouo autem appetente anno, cum oblatum ab Anaſtaſio Conſulatum Clodouæus reſpuiſſet, Conſules Celer, ac Venantius Iunior dicuntur.

Chri. Ann. 508.

Theodorici interea copias, quæ ſubſidio, vt diximus, Alarico venerant, ancipiti cum Francis prælio pugnaſſe conſtat. *hic quod eodem Bello obſidio contigerit Arelatenſis, multa de Cæſario eius Vrbis Epiſcopo Author recenſet.*

*Procop l. 1.*

Romæ quoque ſequenti anno, quo Conſulatum Importunus geſſit ſine Collega, tumultus maximus ludis Circenſibus excitatus eſt. quo tempore Alamundarus Sarracenorum Rex Arabiam, ac Paleſtinam incurſans, mortales innumeros captiuos abduxit, qui tamen poſteà omnium cum admiratione Chriſtiana ſuſcepit Sacra.

Chri. Ann. 509. *Theod lect. l. 2 Caſs. ep. 27. & 31. l. 1.*
*Alamundarus Sarracenorū Rex.*

Occidentalis quoque Eccleſia per

idem

*Greg. Tur. l.3.c.5 Sigeb. chron.*

idem tempus Catholico Principe aucta eſt Burgundionum Rege Sigiſmundo, qui Alcimo Auito Viennenſe Antiſtite ſuadente, perfidiam abiecit Arrianam, vtque Ditionem ſuam eadem purgaret peſte, author Prouinciæ Epiſcopis fuit, vt Epaunenſem cogerent Synodum, in qua multa ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſanciendam decreta ſunt.

*Sigiſ. Burgund. Rex.*

*Synod. Epaunenſis.*

Chri. Ann. 510.

Sequentis anni Conſulatum, cum Eutharico, gerit Seuerinus Boetius Vir ſplendore generis, atque eruditione clarus, cui bonarum artium ſtudioſi bene precentur, Ariſtotelis in primis Sectatores; conſtat enim Eum annis ipſis duodeuiginti Athenis moratum, Philoſophi huius opera, quæcumque nanciſci potuit, latinis, quibus hactenus incóperta erant, tranſtuliſſe: multa inſuper ſuoptè ingenio elucubraſſe. porrò ne Conſularibus quidem curis à philoſophicis illum ſtudijs fuiſſe abſtractum, idem Ipſe in primis teſtatur.

*Boetius.*

*Boet. de diſcipl. ſchol. c.4.*

*In Ariſt prædic.*

Hoc eodem anno Macedonij Byzantij Antiſtitis cum Auguſto contentiones mirum in modum auctæ, exilium Illi peperere. addita pœnæ calumnia, idcirco etenim damnatum vulgari iuſſit, quaſi ad Neſtorianam hæreſim adſtruendam, ſacri contextum Eloquij immutaſſet. cæterum depoſitio ipſa, ac relegatio ſub Secundini, ac Fœlicis Conſulatu peraguntur tan-

*Macedonius relegatur.*

*Euagr l.3.c.32. Nicephl.l.18 c.25.*

Chri. Ann. 511.

*Populi inde ſeditio* ta cum populi ſeditione, ac tumultu, vt fœminæ quoque, ac Pueri probra in Auguſtum liberrimè iactarent, quò factum, vt metu Ipſe perculſus nauigia ad fugam comparauerit. porrò ad Populi gratiam, qua Epiſcopo ſtudebat, minuendam, nouæ adhuc in Eum calumniæ concinnantur. prodiere Adoleſcentes quidã ſuam ipſorum turpitudinem, quo Epiſcopi famam læderent, profitentes; Hos ita Macedonius redarguit, vt genitalibus carere membris ſe palam oſtenderet; ex quo Populi in eum ſtudia, odium in Anaſtaſium mirum in modum augeri eſt cœptum. Pulſo Macedonio, Sedem Timotheus occupat, homo inconſtans, Principis gratiæ nihil non tribuens. *Inſignis calũnia.*

*hoc loco, vt de Seueri pſeudomonachi perfidia, ita viciſſim de Theodoſij Cœnobiarchæ laudibus multa apud Authorem habes.* *Theodoſius Cœnobiarcha.*

Paulo, ac Mutiano Coſs. excitata Byzantij, Fidei cauſa, ſeditione Anaſtaſio Principi metuenda, Conciliabulum Eiuſdem iuſſu apud Sidonem cogitur, à quo præter Macedonium Flauianus quoque Antiochenus, alijque catholici, magno numero, Antiſtites exauctorantur. hac ſanè Tyrannus ratione & rei inuidiam declinare ſe poſſe exiſtimauit, & aduerſantes ſibi Epiſcopos veluti excutere, Eorum porrò Sedes hæreticis hominibus inſidendas *Chri. Ann. 512. Marcell. Chr. Cedrẽ.*

tra-

Chri. Ann. 513. tradere? quod ſequenti demum anno Probo, ac Clemētino Coſs. peractum eſt, maximo cum catholicæ rei detrimento. Antiochiæ in primis Seueri eius Eccleſiæ inuaſoris impietas debacchata eſt. *de quo, deque Elia ſanctiſſimo Hieroſolymorum Antiſtite, ac de Saba Cœnobiarcha celeberrimo multa Author huc congerit. vbi & miracula, ad catholicam veritatem aduerſus Seuerianos ſtabiliendam edita, ex Sophronio, refert.*

Chri. Ann. 524. Nouus annus M. Aur. Caſſiodorum Conſulem habuit abſque Collega. per quos autem Is gradus ad hunc ſupremum aſcenderit Ipſemet tradit. rurſum quo pacto his omnibus abdicatis, illuſtrior euaſerit, ſuo loco dicturi ſumus. *Caſſiodorus Cōſul.* *In Præf. et ep. 4 l. 1.*

Moritur hoc anno Symmachus, Pontificatus anno XVI. cui, ex omnium ſuffragijs, Succeſſor datur Hormiſda Rom. tum Eccleſiæ Diaconus, ad quem Francorū Rex inclytus Clodouæus literas ſtatim dedit, auream que, ac gemmis conſpicuam Pontificiam, quam Regnum vocant, Coronam miſit. Suas & Ipſe Francorum Apoſtolus Remigius addidit, ad quas Hormiſdæ extat reſponſum, quo Illi vices ſuas apud Franciam delegat. *Symmachi Papæ obitus. Hormiſda ſuccedit.* *Apud Sur. 13. Ianuar.*

Huiuſmodi munitus poteſtate Remigius frequentiſſimam indicit Synodum Rhemis celebrandam. *Synod. Rhemēſis.*

*Clodouæi obitus.* At non diu ſuperſtes Clodouæus hoc ipſo anno Regnum Filijs quadri- partito adminiſtrandum reliquit. Hi ſuere Childebertus, Clotharius, Theodoricus, & Clodomerus, quorum res geſtas non eſt huius loci recenſere. *Greg. Tur. l. 3. c. 1 Agat. l. 1. Marcell. Chr. Euagr l. 3. c. 43.*

*Vitalianus Byzantiũ obſidet.* Hæc inter Vitalianus Dux, ſiue is Scytha, ſiue Thrax genere, Hunnos, ac Bulgaros magno numero adducens; inſuper Romano Equitatu ſibi conciliato, atque adiuncto, Miſiam, ac Thraciam occupauit, ſuſceptoque Fidei Catholicæ, atque extorrium Epiſcoporum patrocinio Byzantium, infeſto agmine, acceſſit, obſeditque. Anaſtaſius aſtu agere dudum aſſuetus, Epiſcopos ſe reuocaturum, Concilium Heracleæ Ipſo quoque Romano Pontifice euocato indicturum, ſacramento interpoſito, pollicetur. hac arte Populi in Vitalianum ſtudia conſopiuit, tum Vitalianum Ipſum ſummouit. Sed hæc in ſequentem annum producta ſunt, Anthemio, ac Florentio Coſs. quo tempore Anaſtaſius, vt fidem ſuam exoluere videretur, Patri- *Chri. Ann. 515.*

*Anaſt. & Hormiſdæ legationes.* cium V. C. ad Rom. Pont. Hormiſdam legauit, literis ad Eum datis, quibus pacis Illum ſequeſtrem ſeſe optare profitetur. ad Senatum quoque Rom. alias addidit; hortatuſque eum eſt, vt conciliandæ Eccleſiæ pacis Hormiſdæ author eſſet. Ad hæc Pontifex Legatos ſe miſſurum reſpondit, *to. 1. ep. Rõ. Pont.*

quod & præſtitit. His tamen illud in mandatis datum, vt explorarent, an res ſeriò ageretur, paratuſque Anaſtaſius eſſet Catholicam in primis Fidem profiteri, Chalcedonéſis Concilij decreta recipere, aliaqua præſtare, quæ præſcriptis Capitulis continerentur. *ea verò cum extent, ab Authore hic, vna cum Legatorum Commonitorio, ſeu, quam vocant, Inſtructione, recitantur omnino legenda.*

Profecti itaque Legati ab Vrbe, Byzantium cum perueniſſent, honorificè ab Anaſtaſio excipiuntur, à quo & Rom Pont. poſtulata recepta ſunt; quod hac ratione infenſum ſibi Populum, ac Milites, qui ad Vitalianum defecerant, placare ſe haud dubiè poſſe exiſtimaret. illud tamen integra Illorum, quam captabat, gratia, abnuere ſatius duxit, vt Acacij memoria aboleretur. imò hac ratione vti Legatos, ac Populum inter ſe cómitteret enixè operá Veterator dedit. inſuper, quod moram rebus ſuis conducere animaduerteret, Legatos ad ſequentem vſque æſtatem, ſpe bona interim lactatos, Byzantij detinuit.

*Anaſtaſij artes.*

*Marcell. Chr. Paul. Diac. Nyceph.l.16 c.34.*

Per idem tempus Ariadna Aug. effœta iam ætate moritur. nec diù ſuperſtes Macedonius, qui apud Armeniam, exul, Hunnis eam Prouinciam, & Cappadociam populantibus, eorum ſæuitiam effugerat.

*Ariadnæ obitus.*

Hoc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Hime-ranni.* Hoc eodem anno Himeranni Auſtrales ſub Perſis Populi Fidem Chriſtianam amplectuntur.

Sequentis anni Conſulatum Petro administrante abſque Collega, Apoſtolici ab Auguſto Legati Romam remittunrur. tum Seuerianus, ac Theopompus Viri Clariſs. ad Hormiſdam legantur. verum Is, qui veteratorias Auguſti artes exploratas iam haberet, nec niſi ad Vitalianum interim exarmandum, cunctatione Illum vti animaduerteret, Eius ſtatim Legatos Byzantium remittit, teſtatus *opera ſe optare, non verba*. vanum autem coniectorem non fuiſſe Hormiſdam, quæ hoc eodem anno ſequuta ſunt ſatis ſuperque docuerunt. Populo quippè, ac Militibus in dies ſegniùs agentibus, Anaſtaſius Vitalianum haud ægrè exauctorauit: Ruffino obnoxio ſibi homini militiæ Præfecturam contulit. tum verò liberas Imperij habenas nactus, iam non dolo, ac ſimulatione vti, ſed pro libidine miſcere cuncta inſtituit. Chri. Ann. 516. *Marcell. Chr. Niceph. l. 16. c. 38.* *Vitalianus exauctoratur.*

Parta igitur arte, qua diximus, de Vitaliano, ac cæteris Victoria, Anaſtaſius nouo ſubeunte anno quartum init Conſulatũ Collega Agapito apud Occidentem renunciato. At non deſpondit animum Hormiſda. noua itaque Legatione inſtituta, Auguſti iterum conſilia exploranda ſibi duxit, additis Chri. Ann. 517.

ditis ad Timotheum quoque Byzantij Antiſtitem, eiuſdemque Vrbis Clerum, ac Orientales catholicæ communionis Epiſcopos literis, *quarum omnium exempla hic habes*. cæterum Anaſtaſius, metu, vt diximus, iam ſolutus, Legatos Byzantium delatos, in conſpectum ſuum venire haudquaquam eſt paſſus: excedere quin Vrbe iuſſos, labefactæ impoſitos naui, Græciæ Vrbes adire vetuit. Tyrãni exemplum, data veluti teſſera, Fidei hoſtes reliqui, haud cunctati, ſequuntur. Orthodoxos, Eremi in primis cultores, infandis vbique modis inſectantur. ex His, qui Syriæ ſolitudines incolebant, à Seuero Antiochenæ Sedis Inuaſore acerbiùs vexati, legatos ad Auguſtum mittunt, hominis ſæuitiam deprecaturi, obteſtaturique, vt, quod hactenus licuiſſet, latere deinceps tutò liceret. cæterum Hi quoque inauditi dimiſſi, conuicijs inſuper affecti ſunt. vt iam omnibus conſtaret diuinam vltionem propiùs inſtare, tot Tyranni ſceleribus accerſitam. porrò ſic deſpecti ab Auguſto Monachi, quod reliquum videbatur, communem omnium Parentem Romanum Pontificem, literis ad Eum datis, interpellant. at, licet non tam opem, quàm ſolatium ſperare ex Eo poſſe viderentur, mirum tamen eſt quantam in ſuprema poteſtate fiduciam collocauerint. Hos

*Anaſtaſij Tyrannis.*

tamen

tamen ſolatus eſt Pontifex literis, quæ ſub ſequẽtis anni Coſs. datæ legũtur.

*Hormiſdæ zelus.* Interim Hormiſda, quamquam de Orientali Eccleſia ea, qua oſtendimus, ratione ſollicitus, Occidentalis curam haud quaquam abiecit. ergò qui paulo ante Alcimum Auitũ Viennenſem Epiſcopũ ſuum apud Galliam Vicarium, Remigium apud Franciam conſtituerat; hoc ipſum obire munus Ioannem Tarraconenſem in citeriori Hiſpania, Salluſtiũ Hiſpalenſem in vlteriori iuſſit.

*S. Sabæ miraculũ.* Per idem tempus Hieroſolymitanus ager, atque adeò Paleſtina vniuerſa, quæ ab exturbato Sanctiſſimo Epiſcopo Elia quinquennio ferè aquarum indigentia incredibili laborauerat, Sabæ demum Abbatis precibus optatam recepit pluuiam, cumque ea priſtinam agrorum fœcunditatem. *Cyrill. in vit.*

Duodeuigeſimus huius ſæculi annus, qui Anaſtaſij poſtremus fuit Magni, ac Florentij Conſulatu inſcriptus, ob reducem veluti poſtliminio Pacem optatiſſimus accedit. Populi apud Byzantium ſeditiones eò proceſſerant, vt Anaſtaſius ſimulandi, vt qui maximè peritus in Circum delatus abſque Diademate paratum ſe ad Imperium deponendum Præconis voce edixerit, dum idoneus Succeſſor preſtò eſſet. hoc veluti aucupio, Populi gratiam ex commiſeratione iterum nactus, inſigniorem quemque ex Catholi- *Chri. Ann. 518.* *Euagr l. 3. c. vlt. Zon. p. 3.* *Anaſtaſij aſtus.*

tholicis, quaſi Authores ſeditionum, ſupplicio affecit. comprehenſi Eius iuſſu cum alijs dicuntur Iuſtinus, ac Iuſtinianus, qui poſt eum imperarunt. cæterum, gladio Eorum ceruicibus imminente, præter ſpem omnem, Tyranno, vt ferunt inter quietem, oſtento quodam perterrefacto, exempti ſunt. alio inſuper inſomnio territum ſub vitæ exitum memorant. horribilis enim Viri ſpecies Ei oblata eſt librum manu tenentis, ſimulque increpantis; *en ob tuam improbitatem, quatuordecim tibi vita annos deleo*. his alijſque domeſticis æquè, externiſque terroribus exagitatus (nam per idem tempus terræmotus maximi extitere) coniectorem, præter cæteros, adhibuit Proclum, qui Tyranni haud dubiè exitum inſtare pronunciauit. Hic eſt Ille Proclus inſignis ea tempeſtate Mathematicus, qui, Archimedis æmulator inclytus, æreis ſpeculis Vitaliani claſſem Byzantium obſidentis incendiſſe fertur. Eiuſdem porrò inuentum fuiſſe tradunt inſanum illud opus, quod ſibi ad mortem euitandam Anaſtaſium extruxiſſe Zonaras ſcribit. Cedrenus autem addit cum Is oraculo fuiſſet edoctus igne ſibi pereundum fore, ciſternam Regijs in ædibus, quæ frigida eſt dicta, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus eſſet appoſitus. ſed hæc illi omnia fruſtra ceſſere; fulmine quip-

*Iuſtini, ac Iuſtiniani periculum.*

*Oſtentum.*

*Zonar p. 3.*

*Proclus Mathematicus.*

*Anaſt. fulmine extinctus*

quippè ictus interijt XXVII. Principatus anno vix dum exacto.

*Eliæ reuelatio.* Tyranni mortem Eliæ Hieroſolymæ Epiſcopo, Eius iuſſu longius exulanti, eo ipſo, quo contigit, die præmonſtratam tradunt: ſimul prædictum decem intra dies Ipſum deceſſurum, vt præmortuo Anaſtaſio, ante Dei tribunal conſtituto, adeſſe Accuſator poſſet: quod de Flauiano quoque Antiocheno exilio pariter mulctato ſcribunt. Hìc verò cum impij Principis exitu, finem quoque ſextus hic liber accipiat. At nos Eo apud inferos demerſo, quaſi altero Pharaone, tranſmiſſo veluti pelago, aduerſo in littore conſiſtentes, Victoriæ Hymnum concinamus. *Cyrill. in vit. S. Sab. Sophr. Prat. ſpir. c. 35.*

Soc.tis Jesu Paderb.

# *Libri VI. finis.*

INDEX totius Operis
In finem Secundæ Partis reijcitur.